This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



N. i. 157[5] RBS

Robert Seier.
Ex bibl: Langii constit: 26 Xbr:
1892.
Ed. Fraenkel

EVRIPIDIS

HECVBA

GODOFREDI HERMANNI

AD EAM

ET AD R. PORSONI NOTAS

ANIMADVERSIONES

LIPSIAE

SVMPTIBVS IOAN. GOTTL. FEINDII

clɔlɔccc

ASHMOLEAN
OXFORD
MUSEUM

PRAEFATIO

Paullo amplius biennium est, quum Richardus Porsonus Londini Hecubam Euripidis edidit, praefatione et breuibus notis instructam, emendationum maxime rationes reddentibus. Qui vir quamquam in ea editione nihil exquisiti aut reconditi exspectare iussit, eam tamen Euripidi operam nauauit, quam nemo, nisi qui aut iniquus, aut harum litterarum imperitus sit, summo critico non fateatur esse dignissimam. Verum vna tantum in re exspectationem, quam rumor excitauerat, fefellit. Ferebatur enim multa, quae ad metrorum rationem spectarent, adnotasse, quod hoc magis optandum erat, quia Euripidis aliquanto difficilior est in hoc potissimum genere, quam caeterorum tragicorum emendatio. Atque etsi quaedam, quae ad hanc partem antiquitatis pertinent, obseruauit Porsonus, placuit tamen ei haec pro auctoritate imperiosius, quam pro critici officio explicatius exponere. Ea re hoc

videbatur effectum iri, vt plerique eorum, qui Porsoni Hecubam legerent, existimationem viri atque auctoritatem instar argumentorum habentes, assentire, in hoc praesertim genere doctrinae, quam, quae ille obscurius dixisset, diligentius disceptare mallent. Quapropter ego, quae mihi Porsonus minus recte dixisse videbatur, in medium proferenda putaui, non vt illum reprehenderem, sed quoniam id eorum videbatur interfuturum esse, quibus harum studia litterarum curae sunt. Etenim nihil vsquam omnibus numeris absolutum ab hominum genere perfici mortalem meminisse fas est. Nec satis cautum ei, qui alienos errores deprehenderit, ne ipse in alios errores incidat. Quare et reprehendendum libere est, nec, si reprehendaris, aegre ferendum. Non enim nostram agimus, sed caussam scientiae rerum humanarum.

Praeterea vero etiam de Wakefieldii coniecturis admonendum duxi, quem continuo Porsonus minime parem nactus est aduersarium. In quo viro quum quantum ingenii, tantum effrenatae temeritatis, Graecae autem linguae haud accuratior, quam Latinae, cognitio sit, debet ille aliquam sane, sed non eam auctoritatem habere, quam apud nostrates, nimis aequos exterorum iudices, consequutus est.

Quum

Quum iam typothetis tradere Hecubam measque adnotationes vellem, duae mihi innotuerunt Porsonianae editionis et Wakefieldii diatribes censurae, vna in menstruis Britannorum censuris, (*Monthly Review* 1799. Januar. Febr. Apr. Jul. Aug.) ab excellente scripta critico, multisque plena praeclaris obseruationibus; altera in ephemeridibus Ienensibus n. 410. et 411. anni 1799. quam qui scripsit, non scripsisset eam, spero, si Britanni censoris adnotationes cognitas habuisset. Hic quidem Britannus censor quo maiorem in his rebus auctoritatem habere debet, eo magis, quid de quoque loco sentiret, commemorandum censui.

Denique textu iam et maxima parte animaduersionum typis descripta, quatuor Euripidis codices ex opulentissimis bibliothecae Augustanae thesauris nactus sum, quos, venia sapientissimorum reip. Augustanae Septemuirorum, ii, qui ad illius bibliothecae curam delegati sunt, summa liberalitate vna cum aliis codicibus mihi inspiciendos permisere. Veterem enim illi gloriam Germanorum moribus suis conseruant. Sed honoris caussa nominandus est etiam Mayius, doctor in illa ciuitate clarissimus, candidissimi animi vir, qui rogatu suo ad illos codices aditum mihi parauit. Eorum codicum hic est index:

a. p.

a. p. 69. n. 45. in catalogo Reiseri. Chartaceus est, valde recens, et vitiose scriptus, vt in maxima parte fabulae ne personae quidem indicatae sint. Videtur tamen ex bono libro descriptus esse. Continet versus 789. priores Hecubae.

b. p. 83. n. 48. chartaceus. recentissimus, cum paucis glossis inter lineas.

c. p. 90. n. 68. bombycinus, antiquior, cum multis glossis interlinearibus, et aliquot scholiis, quae ferme cum editis consentiunt. In principio voluminis ab alia manu in quatuor foliis scripta scholia in Hecubam continentur. Verius indicem dixeris vocabulorum in Hecuba occurrentium, quorum diuersi significatus et synonyma explicantur.

d. p. 35. n. 2. bombycinus, cum glossis inter lineas et scholiis. Initium interiit. Continet finem Hecubae inde a v. 1253. tum Orestem et Phoenissas.

In his codd. quae lectiones memoratu dignae reperiuntur, afferam.

v. 11. πέσῃ a.
13. ᾧ b.
19. Θρῃκὶ abest b.
21. ἀπώλετο a. b. c.
23. αὐτός τε a. b.
35. πάντες τ' c.

44. ἀδελ-

44. ἀδελφὴ καὶ τὴν ἐμὴν τῇδ' ἡμέρᾳ. a. ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν τῇδ' ἡμέρᾳ b. c. sed in b postrema duo verba in litura scripta sunt.

58. περ abest b.

61. τὴν ὁμόδελον νῦν c. sed νῦν minoribus litteris adscriptum. In a. b. abest νῦν.

63. ἀείρατέ με δέμας a. c. ἀείρατέ με, sine δέμας b.

65. σκίμπωι a. σκίπωνι διερειδομένη b.

68. ϛεροπὴ a. b. et schol. in marg. b. ἀϛραπὴ ἀντὶ τῆ ἡμέρα. Glossa in c. ἀϛραπὴ ἀντὶ τῆ ἡμέρα.

ibid. ὦ πότνια νὺξ a.

69. b. vt edidimus. ἄϊρομ' a. c.

73. ἦν περὶ παιδὸς ἐμῇ τῇ σωζομένῃ κατὰ Θρῄκην ἐϛεῖδον ἀμφὶ Πολυξένης τε φίλης θυγατρὸς δι' ὀνείρων. εἶδον γὰρ Φοβεραίν. a. ἦν περὶ παιδὸς ἐμῇ τῇ σ. κ. Θρῄκην ἀμφὶ Πολυξένης τε φ. θ. δι' ὀνείρων εἶδον. εἶδον γὰρ φ. b. c.

81. ἦξει a. b. c.

85. καὶ Κασάνδρας c.

86. κρίνωσ' a.

87. ἔλαφον abest a.

88. ἀνάγκος a.

89. δεῖμά μοι, ἤλυθ' a. b. c.

90. κορυφῆς a. b.

96. δεσποσύνης a. b. c.

98. ἀπελαυνομένη a. b. c.

102. ἀϛρα-

102. ἀραμένη a. αἰρομένη b.

107. ὅτε a. b. c.

113. συνέπεσε a. b. ξυνέπεσε c. et gl. ἐγένετο, συνέκρυσε.

114. Ἑλλάνων a. c. Ἑλλήνων b.

136, Ἑλλήνων a. b. c.

137. τῆσ Τροίας c.

139. μαζῶν a.

144. ὑπὸ γαῖαν b. c. ὑπογαίης a.

147. τύμβῳ a. b.

151. οἳ ἐγὼ δειλαίης a.

159. prius ἦ abest c.

160. πῆ δ' ἥσω. πῇ τις θεῶν ἢ δαιμόνων ἐπαρωγός. a. b. ποῖ δ' ἥσω. πῇ τίς θεῶν ἢ δαιμόνων ἐπ' ἀρωγός c. et scholion: ἵημι, ἥσω, τὸ ὁρμῶ καὶ πορεύομαι. καὶ ψιλῶται. ἵημι δὲ, τὸ πέμπω, δασύνεται.

164. ἐκ ἐστί μοι a.

166. τλᾶμον a. b. c.

167. γραίᾳ a. b. c.

172. ἴδῃς a. b. c.

175. μᾶτερ semel a prima manu, alterum serius additum. c.

176. κηρύξασ' a. b.

178. ὦ μοι τέκνον a. b. c.

180. ψυχᾶς πέρι c.

184. ὦ τέκνον τέκνον a. b. c.

185. τί τόδ' ἀγγέλλεις a. b. c.

186. κοινῶ c. κοινᾷ — γνώμᾳ — γέννᾳ b.

189. τί

189. τί φθέγγῃ a.

191. μάνυσόν μοι a. b. c.

198. λώβαν semel a. b. c. ἐχθίσαν abest a.

199. ὥρσέ τις δαίμων a. b. c.

201. c. vt edidimus. δειλαίαι δειλαίῳ a. b.

206. vt editum, a. b. c.

208. μέτα ἀ a. b. c.

209. καὶ σὲ μὲν μᾶτερ δύσανε κλαίω. a. b. c.

213. ἐκηρύσσω a. ἐκήρυσεν b. c.

217. κραθεῖσαν c. et manu recenti in marg. καὶ κρανθεῖσαν. scholion: κιρνῶ ἐνεχώς, etc.

218. σὴν παῖδα c.

223. δράσεις a. b. c. In margine MS. c. altera lectio notata.

224. ἐξέλθοις a.

226. vt editum b. σοφόν τι a. c.

238. ὀμμάτων τ' ἄπο φόνε a. c. ὀμμάτων δ' ἄπο φόνε b. cum schol. ὧν ἦν αἴτιος φόνε φόβος. Eadem glossa in c. et scholion: μὴ λάβῃς εἰς τὸ φόνε ἔζω τὸ ἕνεκα. ἔστι γὰρ ἡ γενικὴ πρὸς τὸ σταλαγμοί.

244. ὥστε θανεῖν γε c.

245. seqq. eo ordine, quo vulgo, a. b. c.

248. εἰσορᾷν γε a. b. c. in quo hic versus quum suo loco omissus esset, in imo margine a prima manu additus. Idem ab recentiore manu adscriptus omisso γὲ vel μέ.

251. κακόν a.

252. ἡμῖν a.

258. vt

258. vt editus, a. b. c. Schol. in c. τὸ χρῆν κατὰ μὲν τὰς παλαιὰς καινονίζεται, κατὰ δὲ τὰς νέας ῥῆμά ἐστιν ἀπρόσωπον. καινονίζεται δὲ κατὰ τὰς παλαιὰς χρῆμι, ὃθεν ὁ παρατατικὸς ἔχρην. Ἀττικῶς διὰ τοῦ ή.

260. θανόντας a. In c. κτανόντας in litura scriptum.

262. ἤδ' εἰργασται c.

263. προσφαγμα a. c. ταφων προσφάγματα b.

266. ὑπερβάλλουσαν a.

272. τῆσδε γεραιᾶς a. b. c.

276. τῶν τεθνεώτων a.

277. καὐπιλέληθα a.

280. τὰς κρατοῦντας χρὴ a. b. c.

281. πράττειν a. b. c.

289. ἴσως a.

291. λέγητέ σὰν a. λέγῃ b. c.

292. πείθει a. πείσει b. c.

296. ἐκβάλλοι a. c.

310. ὤλωλε a. ὄλωλε b. c.

315. μὲν abest b.

316. σμικρὸν a. b. c.

321. ἠδὲ a.

326. δὲ a. b. c.

330. πεφυκέναι a. b. c. in quo glossa, ὥστε εἰς ὕπαρξιν ἐλθεῖν, et scholion vulgatum: ὅμοιον τῷ παρὰ Σοφοκλεῖ, etc. hac diuersitate lectionis: ἵν' ᾖ, ζῆν (hoc ζῆν delendum) κρεῖττον

ἦν

ἦν μηκέτ' εἶναί σε. Deinde: εἶπα ἐπάγει πεφυκέναι, ἦγεν ὥστε εἰς ὕπαρξιν ἐλθεῖν. διὸ καὶ ὥσπερ ἐπανορθοῖ τὸν λόγον, ἵνα δείξῃ τὸ ὑπὸ δειλείας κακὸν εἰς ὕπαρξιν ἐλθεῖν, ὃ μέντοι γε κακὸν κατὰ τὴν ἑαυτῶ φύσιν. Hic finitur scholion.

331. τολμᾷς a. b. c. glossa in b. c. ὑπομένεις.

332. ἐμοὶ a. c. ἐμοὶ b.

341. ἔμπαλιν a. b. c.

344. ἕψομαί σοι a. b. c.

350. γάμῳ a. b. c. in quo hoc vocabulum a recentiore manu additum.

353. τ' abest b.

354. θεσῖσι a. b. Sic habuerat etiam c. sed minio mutatum in ῆ.

360. προσθεὶς a. b. c.

367. ἀγῷ μ' a. b. ἄγ' ἔν μ' c.

371. μηδὲ c. μὴ δὲ a. b.

379. ὄνομα a. b. c.

382. ψόφον b.

383. τήν τε μὲν b.

390. πόμ' a. b. c.

393. ὀφείλομεν a. b. ὠφείλομεν c. cum gl. ἐχρεωστοῦμεν.

394. ἐμοὶ a.

396. ὁποῖα a. b. c.

397. τοῖς σῳ c.

402. σύ τ' a. b. c. quod verum videtur.

407. μῆτερ abest b.

411. τά-

411. τέλος δ' ἔχει b.

417. πῇ c. cum gl. πῶς.

419. πεντήκοντ' ἄμοιροι τέκνων a. πεντήκοντ' ἄμοιροι δὴ τέκνων b. c. in quo δὴ serius additum.

423. ἀθλίας a. b. c.

424. χαῖρ' ὦ Κασσάνδρα τ' ἐμή. a. χαῖρ' ὦ Κασσάνδρα τ' ἐμοί b. Vt editum, c.

425. ἔστι χαρὰ a. b. c.

426. Θρᾳξί a. b. c.

427. ἀπιτῶ γ' a.

433. ὄνομ' a. b. c.

439. ὡς b. ὧς a. c. in quo glossae, ὡς αἰ, et ἕπτως.

449. τῶν καλλίτων a. b. c.

451. παιδία a. πεδία b. c.

452. νᾶσον a. b. c.

459. κέρως a. b. c.

466. δαιδαλέαισι a. b. c. ποικίλως a.

470. κομίζει b.

471. τοκέων a.

474. δορίληπτος a.

475. ὑπ' abest in a. b. c. in quo erasum videtur.

478. Θερσάπαιναν a. b. c.

482. In c. schol. recentius ad νῶτα: λιποθυμήσασα διὰ τὴν Πολυξένην.

485. ἄλλως τήνδε a. b. c.

486. εἶπαι δαιμόνων a.

492. φέ-

492. φέρεσα a.

493. μὲν abest a. b.

502. λέγῃς b. c.

505. μεταστέχω σε a.

507. θανεμένας c.

519. λαβών τ' b.

531. μοι a., quod nescio an verum sit. Vide comment. de metris Pindari p. 273.

532. ἀγωγαὶς b.

536. νεῶν· δὸς δ' ἡμῖν πρευμενῆς ἀπ' Ἰλίᾳ a. b. c. in quo scholion: δὸς ἡμῖν εἰπὼν ὤφειλε τυχεῖσι ἐπάξειν, et quae vulgo sequuntur.

537. πάτρας b.

540. κελεῦ c.

555. λαγόνος εἰς μέσον a. b. c.

556. ἀγάλματα a. b.

557. κατθεῖσα c. cum glossis καταθεῖσα, κλίνασα.

560. ἐπ' αὐχένα a.

561. εὐπρεπὴς a. b. c.

562. ἐ θέλων τε καὶ θέλων τε b.

565. εὐσχημόνως b. c.

566. κρύπτειν θ' ᾗ a. κρύπτειν θ' ᾗ b. c.

569. αὐτὴν b. c. in quo supra scriptum ab recentiore manu, γρ. καὶ αὐτῶν.

572. ἧκεσεν b.

576. λέγον a. b. c.

578. θ'

578. δ' abest a. b. In c. additum a recentiore manu.

586. ἐξαλείψεσθαι b.

591. καρπὸν δίδωσι κακόν a. ἀνθρώποις a. b. c.

594. διέφθορε a.

596. ἔχει γέ τι καὶ τὸ a. c. ἔχει γέ τοί τι καὶ τὸ b.

597. μάθοι a.

602. ἔν τι a. ἐν γαὲ c. e correctione. Antea fuerat ἔν τοι.

606. ἔνεγκαι b. c.

608. νύμφην ἄνυμφον a. qui hunc versum habet ante v. 607.

616. τ' abest in b. c.

617. τῶν τέκνων c.

622. ἄλλων b.

629. ἐτάμεθ' ἅλιον ἐπ' a. b. c.

630. Ἑλένην a. Memorabilis lectio.

636. Σιμοεντίδι b.

342. εὕρην a. b. c.

656. εἰς καιρὸν δὲ a. εἰς καιρόνδε c. εἰς καινονδε b.

658. κὐκ ἔτι βλέπουσα b.

662. ἀπηγγέλη c.

671. δὲ a. in quo saepe perparuum inter ε et η discrimen est.

673. δὲ a.

674. ὦ

674. ὦ τέκνον αἰῆ αἰῆ a. b. ὦ τέκνον αἰῆ αἰῆ αἰῆ c. Primum αἰῆ serius, sed a prima manu, additum.

675. νόμων βακχείων ἐξ ἀλάστορος a. b. c.

680. 681. vt vulgo, a. b. c.

685. ὦ τέκνον, τέκνον, a. b. c.

690. ὤμοι αἰῆ αἰῆ a. c. οἴμοι αἰῆ αἰῆ b. ἐνόπτιον a. b. c.

692. ἂν ἐσεῖδον ἀμφί σ' ὦ a. ἂν εἰσεῖδον ἀμφί σ' ὦ c. ἂν ἐσεῖδον ἂν ἀμφί σ' ὦ b. Vtrumque ἂν puncto supra scripto notatum, quo translocatio post verbum indicetur.

694. ἔκτειν' a. b. c.

695. ἐμὸς semel a. c. Θρηίκιος a. b. c.

697. ἔχῃ a. b. c.

699. ἐχ' ὅσι' ἐδ' et δίκα a. b. c. Vnde suspicio oritur, versum fuisse dochmiacum hoc modo:

ἐχ ὅσι', ἐδ' ἀνεκτά· τί δίκα ξένων;

700. ἰὼ a. b. c.

702. ὠκτίσω a. b. c.

705. τῷ δεσπότᾳ a.

721. ὀδύρῃ a. b. c.

723. ἂν προσθείμεθ' ἂν a. b. ἂν προσθείμεθα c.

738. τὸν abest b.

739. ἐπάρκειαν a. b. c.

742. ἐκ ἔω μαθεῖν b.

744. δὲ τίς a.

752. Πολυμήστορα a. b. c.

755. τί-

755. τίνος γε ὑπ' a. τίνος γ' ὑπ' b. c. ἔσωζε ξέ-νος a.

763. γ' abest b.

767. λέγεις a. b. c.

769. καὶ μὲν c. δοκῶ παθεῖν a.

772. ἔτε τῆς γῆς b. c. ἀνωθεν c.

775. ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτα τῶν ἐμῶν ξένων a. b. c. in quo glossae: φιλίας. τῇ τάξει. πρῶτος ὑπάρχων φιλονότι. φίλων

776. ὅσον a. b. ὅσων c.

789. Hoc versu finitur codex a.

805. μὲν abest b.

807. ἀεῖσι πλευρᾶις b. et c. initio, in quo deinde correctum vtrobique ᾗ ᾗ. κομίζεται b.

812. 813. vt editum, b. c. nisi quod γίνεται habent.

820. ἔχοιντο b. c. in quo glossa, ἅπτοιντο.

823. πάρασχε b. c.

828. οἱ νόμοι b. c.

829. τές τε b.

839. φίλιον abest in b. φίλον c.

845. φεῦ φεῦ b.

862. κεκέυθεσ' b. c. ἄδε b.

869. Λῆμνον b.

870. γενέσθαι b. c.

872. καὶ σὺ absunt in b. πλασθεῖσα b. c.

877. ἐπίσχ' c.

878. τῷδ'

878. τᾷδ' ἀδελφῷ b.
889. τοιόνδ' et καλύπτει b. c.
892. αἰθάλε καπνῷ b. c.
893. οἰκτροτάτα b. c.
902. ἐμβεβαῶτα b. c.
903. δὲ τοι b. c.
912. εἰς οἴκους b. c.
913. φίλα c.
923. Διοσκόρουν b. c.
932. ἔγγονον c.
935. ἔτ' ἂν b. πράσσειν c. per σσ tramisso ξ.
936. αὖθ' οἱ θεοὶ b. c.
937. ὡς ἂν ἀγνωσίᾳ b.
960. μὲν ἡμῖν εἰ σύ b. c. vt versus septem pedes habeat. Fortassis haec vera lectio est, si τόδε deleatur.
968. λέγεις σέθεν c.
971. κρυφίως c.
977. τᾶτο b. c. sed vterque v. 976. ᾶ.
991. ἢ b. c.
994. ἰδία b. c.
1002. εἰς et ἐμπεσὼν b. c.
1004. βίοτον b. c.
1005. θεοῖς. ἐ b. et c. sed hic sine interpunctione.
1006. ὀλέθριον bis b. c.
1007. πρὸς αἴδεν ἰὼ τάλας b. c.

1201. ἔχεα φίλοις b.

1214. μοι ἀλλότρια b.

1219. ἔχεις b. haud dubie pro ἔχοις.

1227. τοῖς καπεῖσι c. et glossa τοῖς. κακοῖς.

1228. Agamemnoni tributus in b. c.

1229. τῶν τ' ὀμμάτων τ' ἐμῶν b. et c. sed in hoc absunt τ' ἐμῶν.

1230. τί δαί με b. c.

1237. νηὸς ex correctione b. quum antea ναὸς fuisset, quod est in c. Sed in hoc quoque alia manus νηὸς supra scripsit.

1240. δ' abest in b. c.

1244. Vt editum, b. c.

1245. σῷ abest in b. τὸ σὸν c.

1252. μή πω b. c, Vterque codex versum Hecubae tribuit.

1253. Hoc versu incipit codex d. καὐτὸν δὲ b. d. καὐτόν γε c.

1255. φόνιά σε λατρεὰ περιμένει c.

1257. ἐφέλξεται d. et glossae καθέλξετε τὸ στόμα αὐτῶ. γρ. ἐκ ἐφραύξετε. γρ. ἐκ ἐμφραύξετε. γρ. πιέζεται.

1259. πᾶ b. c. d. in quo supra scriptum ποι.

1261. Ἐκάβη abest in d.

1263. πνοὰς abest in d.

Haec de codd. Augustanis. Sed, quando semel Porsoni Hecuba hanc nobis scribendi opportu-

portunitatem praebuit, age videamus iam ea, quae ille in praefatione protulit.

In his primum hoc est, quod ἀεί, Piersono iubente, Brunkio non nolente, semper sine diphthongo in prima syllaba ab se scriptum dicit. Eamdem rem repetit ad Hecubae v. 1172. probatam censori Britanno. Ibi ἀεὶ legi memorat in Stobaeo, cuius quidem mea sententia non potest maior auctoritas esse, quam librorum MSS. saepe ἀεὶ exhibentium, vbi prior syllaba longa est. Sed nimirum idem Porsonus iota subscriptum vetustiorum MSS. auctoritate in κεῖτι, κεἰν, κἂν, et similibus ab se omissum scribit. At id vt recte fiat, de qua re acute disputauit vir doctus, cuius additamenta accesserunt Vigeri libro de idiotismis Graecae linguae, cap. VIII. sect. VII. p. 526. non debet tamen librorum MSS. aut veterum editionum auctoritate fieri, in quibus quis nescit iota subscriptum non modo in mediis verbis, sed in ipsis etiam datiuis saepissime omitti? Quod si in κεῖτι et similibus exemplis veteres libri sequendi sunt, idem etiam in datiuis facere oportebit. Si quis talia documentis veteris scripturae probare vult, afferendae inscriptiones sunt, abunde suppeditantes exemplorum. Sed tum prorsus repudianda erit recentior scribendi ratio: quod qui facere nolunt, non debebunt codicum

dicum auctoritate in tali re abuti. Id Porsonum in littera l fecisse hoc magis miror, quod idem ad Orestem v. 64. eum insanum fore dicit, qui omissionem litterae paragogicae ν librorum veterum auctoritate velit defendere. Sed redeo ad ἀεί. Piersonus ad quem Porsonus prouocat, sic de hac re scribit ad Moerin p. 231.: *Eustathius ad Il. A. p. 21. f.* (p. 28. l. 31. ed. Rom.) Ἀθηναῖοι μὲν τὸ κλαίει κλαίει λέγουσιν· ἕτω δὲ καὶ καίει καίει, αἰεὶ ἀεί, αἰετὸς ἀετός. *In his autem, si* αἰεὶ *excipias, cuius penultima anceps est,* α *manet longa.* Vid. Etymol. p. 679. l. 26. Etymologus ibi de κλάω et κάω loquitur, aduerbii ἀεὶ nullam mentionem facit; nec magis p. 105. l. 32. et p. 172. l. 20. in quibus locis de eadem re disputat. Sola igitur Eustathii auctoritate nititur coniectura Piersoni. In qua re illud per mihi mirum videtur, vnde Piersonus didicerit, ἀεὶ primam habere ancipitem. Nihil est, vnde id concludi queat, quam quod Eustathius hoc aduerbium vna cum aliis vocabulis commemorat, in quibus α ex αϳ natum longum est. At primum non est tanta Eustathii diligentia, vt, quum non disertim de productione istius litterae loquatur, ex sola reliquorum exemplorum comparatione colligi possit, eam litteram ab eo longam perhiberi. Deinde autem ipse Eustathii locus manifesto docet, eum non de

proso-

prosodia istius αἱ, sed vnice de omissione litterae ι agere. Sic enim scribit: ἰστέον δὲ ὅτι τὸ Ἀχαιὸς δίχα τοῦ κατὰ τὴν διφθογγον ι προφέρουσιν οἱ Αἰολεῖς κατὰ τὰς τεχνικάς, οἱ λέγουσιν ὡς διάλεκτοί τινες ἀποβάλλουσι τὸ ι τῆς αι διφθόγγου, οἷον Ἀθηναῖοι μὲν τὸ κλαίει κλαίει λέγουσιν. ἕτω δὲ καὶ καίει καίει, αἰεὶ αἰεί, αἰετὸς ἀετός. Αἰολεῖς δὲ τὸ παλαιὸς καὶ Ἀχαιὸς καὶ ἑταῖρος πάλαος καὶ Ἄχαος καὶ ἕταρος. Ἴωνες δὲ σὺν Ἀττικοῖς τὸ χρύσειος, ἀργύρειος, χάλκειος, καὶ τὰ ὅμοια χρύσεός φασι, καὶ ἀργύρεος, καὶ χάλκεος. Ex his clarum est, de sola abiectione litterae ι sermonem esse, nec magis αἱ in αἰεὶ ex αι remanens, quam ε remanens ex αι in χρύσεος et aliis pro longo haberi posse. Quin, nisi fallor, alia haud leuis in contrariam sententiam auctoritas afferri potest Etymologi MS. cuius locum Koenius protulit ad Gregorium p. 160. Is locus ita videtur corrigendus: ἰστέον ὅτι ιβ φωναί εἰσι τοῦ αἰεί. ἔστι γὰρ αἰεὶ καὶ αἰὲν καὶ αἰὲς ποιητικῶς, καὶ αἰεὶ συνεστελμένον, καὶ αἰὶ παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι, καὶ αἴϊν παρὰ Ταραντίνοις, (ἐξ ὧν καὶ αἴδιος) διὰ τοῦ ι, καὶ διὰ τοῦ αι, καὶ διὰ τοῦ η. οἱ δὲ Ταραντῖνοι ἄποικοί εἰσι τῶν Δωριέων. ἔτι καὶ αἰὲν παρὰ τοῖς Δωριεῦσι. ταῦτα μὲν ἀπαρένθετα. καὶ ταῦτα ιβ φωνὰς λέγουσιν εἶναι, ἐπεὶ δὴ καὶ τὸ αἰὲ παρὰ Πινδάρῳ. Pindarus αἰὲ habet Pyth. IX. 154. Quod Koenius ait, quaedam deesse numero, non est verum, si illa recte intelligantur, καὶ διὰ

διὰ τοῦ αἰ, καὶ διὰ τοῦ ἡ. Hoc enim dicit grammaticus, formas aduerbii eas, quae ἰ in posteriore syllaba habeant, in priori etiam αἰ et ἡ habere, ita vt istae formae omnes hae sint: ἀΐ, αἰΐ, ἠΐ, ἀΐν, αἰΐν, ἠΐν. Sic igitur duodecim omnino formas hoc aduerbium habebit, quem numerum etiam commemorat Etymologicum editum p. 31. l. 24. Suidas: ἀεί. τούτου εἰσὶν ιά φωναί. Quae verba ex illa Etymologici MS. adnotatione lucem accipiunt. Vndecim enim sunt, si ἀὲ Pindaricum excipiatur, quod videntur quidam veterum ignorasse: vnde grammaticus dicit, ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲ παρὰ Πινδάρῳ. Igitur in his duodecim commemoratur ἀεὶ συνεσταλμένον, quod grammaticus non fuisset συνεσταλμένον vocaturus, si anceps esset: neque vero propterea sic vocat, quia aliud exstet priore syllaba producta; sed quia ἀεὶ opponit iis, quae antea memorauerat, αἰεί, αἰέν, αἰές. Grauioribus ergo argumentis opus est, si quis demonstrare conetur, in ἀεὶ vtramque syllabam produci ab Atticis scriptoribus. Nam quum ἀεί, non αἰεί, grammatici Atticum esse perhibent, communem sermonem spectant, quo prosaici scriptores vtuntur. Qui sicuti non dicunt ξεῖνος, μοῦνος, γούνατα, κοῦρος, δουρί, quae tragicis tamen ipse Porsonus p. XV. eripi posse negat, ita quidni αἰεὶ quoque simili licentia a poetis Atticis

Atticis retentum existimemus? Quin licebit etiam sic argumentari. Attici pro ποιῶ dicebant ποῶ. Etymol. M. p. 679. l. 24. ἰστέον ὅτι οἱ Ἀθηναῖοι ἐκβάλλουσι τὸ ι, λέγοντες ποῶ. Nunc hoc verbum apud tragicos primam solet longam habere. Atqui πωῶ non potuit dici, vt ibidem docet Etymologus. Ergo ποιῶ cum diphthongo dixere. Id si fecerunt in ποιῶ, idem factum esse in αἰεὶ vel ipso grammaticorum silentio probabile fit, aduerbium hoc non commemorantium, vbi exempla afferunt producti α post omissionem coniunctae vocalis. De verbo ποῶ quidem hoc adnotandum videtur, fuisse id vnice vulgaris sermonis proprium, vt ἐδί, ἐτοσί, ἐνθαδί, et alia. Itaque ποῶ scribendum semper in comicis, vbi prior syllaba corripitur. Eamque scripturam veterrimi libri, vt Rauennas Aristophanis, exhibent. Hinc in plurimis comicorum versibus, in quibus metrum vtramque formam admittit, correptior forma propter numerorum elegantiam praeferenda est, vt in Aristophanis Pluto v. 1124.

ἔπειν δικαίως, ὅστις ἐπόει ζημίαν.

v. 1197.

ἐγὼ δὲ τί ποῶ; τὰς χύτρας, αἷς τὸν θεόν.

Sequitur alia Porsoni non satis apta argumentatio, qua secundas personas singularis numeri in indicatiuo passiui ab Atticis per ει formatas

matas ostendere studet. Brunkium hanc formam in futuro tantum, se etiam in praesenti reposuisse dicit, duce quidem analogia. De analogia mox videbimus. Res ipsa vera est, sed non nota. Quippe sic iam Valkenarius ad Phoenissas vers. 576. Koenius ad Gregorium p. 49. et Brunkius ad Sophocl. Oed. R. v. 336. Neque Gregorius praesens intelligi noluit, qui sic scribat: Ἀττικῶς ἐκφέρεται διὰ τῆς εἰ διφθόγγου τῶν παθητικῶν ὁριστικῶν τὰ δεύτερα πρόσωπα, quamquam futuri tantummodo exemplum addit, ζηλωτὸς ἔσει. Sed analogia ista, quam praetexit Porsonus, qualis tandem est? *Haec*, inquit, *postulat, vt vocalis corripiatur in indicatiuo, producatur in subiunctiuo,* τύπτομαι, τύπτει, τύπτεται, τύπτωμαι, τύπτῃ, τύπτηται. Vera dicit, si antiquam formam τύπτεῑ intelligat. In hac enim si vocalis ista longa esset, coniunctiuum haberemus τύπτηαι. Sed contractione vltimarum syllabarum adhibita si τύπτει scribi analogia postularet, consequens esset, vt diphthongus αῑ in ῃ abiisse censeretur: quod quis vmquam factum contendet? Immo litterae εαῑ coalescunt in ᾱ, vt ex ἐαίρων fit ᾱρων. At, inquiet aliquis, si nihil hic tribuendum est analogiae longarum et brevium in coniunctiuo atque indicatiuo vocalium, quid est, quare in coniunctiuo τύπτῃ, non τύπτει,

πτει, scribatur? Licebit huius argumenti vim etiam augere. Nam si cum Valkenario τύπτει ex Atticorum veterum scriptura, ἡ ignorantium, seruatum putamus, necesse est, vt etiam in coniunctiuo τύπτει scribi solitum existimemus. Quorum alterum si seruamus, cur alterum reiicimus? Sed nimirum indicatiuus τύπτει pronunciationi Atticorum, non scripturae debetur. Aliter non adnotassent eum grammatici vt proprium Atheniensium. Graeci enim, vti pronunciabant, ita scribebant. Τύπτει igitur non est tribuendum analogiae, sed hoc dicendum est, non repugnare analogiae, sicut idem τύπτει, si coniunctiui instar esset, analogiae repugnaturum foret. Nam si τύπτῃ ex τύπτεαι ortum in τύπτει mutatur, non tollitur ea mutatione vocalis indicatiuo propria; sin vero τύπτῃ ex τύπτηαι natum τύπτει diceretur, tolleretur longa vocalis, quae quia coniunctiuum modum ab indicatiuo distinguit, tolli non potest. Vt breuiter dicam, in τύπτει diphthongus ει pro cognata diphthongo ponitur, vt in aliis plurimis exemplis, quia ἡ non est littera necessaria, vt in coniunctiuo τύπτῃ.

Pagina V. et seq. Porsonus de augmenti omissione loquitur. Eam in Atticis poetis ferendam negat. Atque vnicum locum, qui in Hecuba licen-

licentiae isti faueat, ab ipso Brunkio emendatum esse. Equidem in hac quoque re id, quod saepe fieri solet, accidisse arbitror, vt ab vtraque parte peccaretur. Nam quid est, quare tragicos poetas, qui tot alias res ex antiquioribus poetis hauserint, in solo augmenti vsu tam religiosos fuisse censeamus, vt licentiam tum caeteris poetis omnibus vsitatam, tum omnino orationi metris adstrictae percommodam, prorsus euitarent atque reiicerent? Immo quemadmodum Doricas formas non solum in chorica carmina, sed in quibusdam vocabulis, vt in Ἀθάνα, etiam in iambos receperunt, aut quemadmodum e vetere dialecto σσ pro ττ seruarunt, quidni eodem iure augmentum quoque interdum omiserint? Sed sane talia non comparationis quadam probabilitate, verum auctoritate locorum corruptionis suspicione carentium firmari debent. Posset enim augmenti vsus eamdem necessitatem habere in scriptoribus Atticis, quam νῶν, σφῶν; aut καλός, prima breui. Sed si qua exempla neglecti augmenti occurrunt minime dubia, ea quo rariora sunt, hoc magis videndum est, ne nihil temere sit in hoc genere nullaque lege et conditione factum. Dicam, quid de hac re sentiam, non vt nunc rem conficiam, sed vt moram obiiciam calidioribus coniecturis.

Illud

Illud primum quum ab aliis, tum a Porsono non satis accurate dictum est, tragicos numquam omittere augmentum. Nam si augmentum non omittunt propter Atticam dialectum, non latius haec regula patebit, quam Atticae dialecti in tragoediis vsus. Quamobrem in melicis carminibus, quae Doricam linguam habent, non repugnabunt, credo, augmenti defensores, quo minus omitti queat. Id etiam Brunkius monuit ad ἀμάχθης in Sophoclis Aiace v. 999. Sic Sophocles in Electra v. 147. ἄρασεν prima et secunda breui; v. 205. ἴδε; in Antigona v. 949. ταμιεύεσκε; v. 955. ζεύχθη; v. 963. παύεσκε; v. 779. κλαῖον; v. 984. τρέφη; in Trachiniis v. 834. τέκετο; in Aiace v. 1201. νεῖμεν; in Philocteta v. 682. ἐσίδον. Aliud exemplum idem poeta habet in Oedipo Rege v. 1198. vbi φθίσας secunda persona est, non participium e praecedentibus pendens. Locus corruptissimus ita scribendus est:

τὸ σόν τοι παραίδεγμ' ἔχων,
τὸν σὸν δαίμονα, τὸν σέν, ὦ
τλᾶμον Οἰδιπόδα βροτῶν,
ἐνθὲν μακαρίζω,
ὅστις καθ' ὑπερβολὰν
τοξεύσας ἐκράτησε τᾶ
πάντ' εὐδαίμονος ὄλβε.
ὦ Ζεῦ, κατὰ μὲν φθίσας
τὰν γαμψώνυχα παρθένον

χρησμω-

χρησμῳδόν, θανάτων δ' ἐμᾷ
χώρᾳ πύργος ἀνέστας.

Alia Aeschylus exempla suppeditat, de quibus in adnotationibus ad huius tragoedias exponam.

Sed videamus nunc iambos. In his si qua neglecti augmenti exempla occurrunt, ea equidem auctor sim vt quis ante accurate perpendat, quam emendando tollat. Non enim vna omnium ratio est, ac fortasse, si alia requirunt emendationem, ab aliis eam abstinendum erit. Omissum erat augmentum olim in Hecubae v. 576.

τοιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον
παιδὸς θανάσης.

Aliud huius simillimum exemplum in Aeschyli Persis est v. 311.

οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον.

Vtrumque exemplum magnam habet offensionem: cuius quidem caussam facile est intelligere. Nulla enim omittendi augmenti apparet necessitas: immo, si poetae illi sic scripsissent, merito imperiti haberentur, qui non potuissent aut alia aptiora verba, aut ordinem certe verborum commodiorem exquirere. Id animaduertit Porsonus, qui Euripidem scribere potuisse ait,

τοιάδ' ἔλεγον ἀμφὶ σῆς,

in Aeschylo autem edidit,

οἵδε ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς.

Mihi quidem, etsi sic scribere potuerunt, non viden-

videntur tamen hoc facturi fuisse. Nam quum omnino cuiusque dipodiae prima arsis, vt ictu vehementior, tum tertiae maxime, iis vocibus ac syllabis seruanda est, quas sensus praecipue audiri postulat. Ne longius nunc digrediar, satis sit, hanc rem duobus exemplis firmasse. Euripides in Hecuba v. 776.

τυχὼν δ' ὅσων δεῖ, κοὐ λαβὼν προμηθίαν.

Aeschylus in Prometheo v. 1023.

οἵος σε χειμὼν κοὐ κακῶν τρικυμία.

Quis non videat, quare sic maluerint scribere, quam hoc modo:

τυχὼν δ' ὅσων δεῖ, κοὐ προμηθίαν λαβών.
οἵος σε χειμὼν κοὐ τρικυμία κακῶν?

Quae quum ita sint, neque in Euripide τοιάδ' ἔλεγον ἀμφὶ σῆς, quod mirifice placet Britanno Wakefieldii censori, neque in Aeschylo ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς legendum erit. In Euripide quidem meliorem lectionem ipse Porsonus sequutus est. Aeschyli locus, in quo illata a Porsono numerorum tenuitas multo minus quam in Euripide ferri potest, sic videtur scribendus esse:

πηγαῖς τε Νείλου γειτονῶν Αἰγυπτίου
Ἀρκτεύς, Ἀδεύης, κοὐ Φερεσσεύης τρίτος,
Φαρνεζυχος, ἠδὲ ναὸς ἐκ βαιᾶς πεσών
Χρυσεύς, Μάταλλος μυριόνταρχος θεινών,
ἕπτα μελαίνης ἡγεμὼν τρισμυρίας,

πύρσην

πυρσὸν ζαπληθὴ δάσκιον γενειάδα
ἔτεγγ', ἀμείβων χρῶτα πορφυρᾷ βαφῇ.

In codice Guelferbytano propius veram lectionem est πέσαν. Constructio totius loci eadem est, quae paullo post, v. 318. seqq. Sed, vt redeam ad augmentum, λέγον et πέσον propterea vnicuique displicebunt, quod ἔλεγον et ἔπεσον facillime iambis aptari possunt. Hinc merito colligi posse videtur, si quando in iambis omiserint augmentum tragici, id eos non nisi in iis verbis facturos fuisse, quae cum augmento aut non potuerint, aut aegre certe in iambicos numeros cogi. Id maxime vsu venit in iis vocabulis, quae si augmentum acciperent, habitura essent antispastum, aliosue ab iambico numero alienos pedes, vt ἐπαίοντο, ἐθώϋξεν. Aeschylus in Persis v. 413.

αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἐμβολαῖς χαλκοσόμοις
παίοντ', ἔθραυον πάντα κωπήρη σόλον.

Porsonus ibi παισθέντ' edidit. Sophocles in Oed. Col. v. 1623.

φθέγμα δ' ἐξαίφνης τινὸς
θώϋξεν αὐτόν.

In Trachiniis v. 767.

ἰδρὼς ἀνῆκε χρωτὶ καὶ προσπτύσσετο.

Euripides in Bacchis, notante Porsono, ter omisit augmentum. Loci sunt hi: v. 756. edit. Brunk.

νίψαντο

νίψαντο δ' αἷμα, σταγόνα δ' ἐκ παρηίδων.

v. 1073.

σίγησε δ' αἰθήρ, σῖγα δ' εὔλεμος νάπη.

v. 1123.

ἡ δ' ἴχνος, αὐταῖς ἀρβύλαις· γυμνῶντο δέ.

In his locis omnibus, et si qui horum similes occurrant, equidem nihil arbitror, nisi propter satis grauem librorum auctoritatem, mutandum esse.

Quod si in iambicis versibus metri caussa augmentum negligi potuit, multo magis eam licentiam in anapaestis concedendam fuisse patet, propterea quod in his ad metri necessitatem etiam orationis grandior quaedam et a vulgari consuetudine remotior proprietas accedit. Eiusmodi est, quod ex quodam tragico habet Aristophanes in Pace v. 1013.

ὀλόμαν, ὀλόμαν ἀποχειρωθείς,

cuius loci auctoritate recte Marklandus ex gemino ὠλόμαν in Iphig. Taur. v. 153. augmentum sustulit.

Haec vero loca non habebunt eam vim, vt eorum auctoritate etiam in iis verbis augmentum omitti potuisse existimemus, quae addito augmento commode possunt in iambis collocari. Cuiusmodi exempla omnia, quotquot afferantur, quauis alia magis ratione, quam omissione augmenti, emendanda sunt. Tale est, quod Brunkius

kius in Hecuba v. 1168. restituendum putauit, ὄλοντο. Idem in Oreste v. 507. edidit:

αὐτὸς κακίων γένετο μητέρα κτανών.

Ibi vulgo legebatur ἐγένετο. Verum quis non videat verborum ordine mutato et numeros corrigi et augmentum seruari posse? Id nunc Porsonum fecisse Britannus censor adnotauit. Nam ipsum Porsoni Oresten nondum vidi. In Andromacha v. 955. Brunkius Musgrauii coniecturam recepit:

φυλακὰς ἔχων δ' μίμνον, ἔστ' αὐτῆ μενεῖς,

vbi legebatur ἔχων ἔμιμνον. Grauius in hoc loco vitium est, quod certa emendatione sanabimus:

φυλακὰς ἔχων ἔκαμνον,

fatigabar obseruando. Quod ad hunc Andromachae locum Brunkius affert omissi augmenti exemplum e Sophoclis Philocteta v. 371.

ὁ δ' εἶπ' Ὀδυσσεύς, πλησίον γὰρ ὢν κύρει,

in editione Sophoclis ipse sic correxit, ἦν κυρῶν.

Sed praeterea aliud genus locorum est, in quo magis elegantia numerorum suadente, quam cogente metri necessitate, tragici augmentum videntur omisisse. De hac re infra explicabo, postquam Porsoni sententiam de anapaesto in iambis perpendero.

Etenim alia nunc nobis considerandа est Porsoni disputatio, quae est de anapaesto in tragicorum trimetris. Eam sua scilicet sententia probauit censor Hecubae Ienensis, qui, quae Porsonus

sonus de hac re scripsit, adeo negligenter legit, vt, quum ille anapaesti in tertia sede omnia exempla, quae apud Aeschylum et Sophoclem essent, afferre se dixisset, eum exempla attulisse narraret anapaesti omnino in quacumque impari sede collocati. In quibus quum tamen Promethei versum 953. desiderare se diceret, non solum iniquus fuit in Porsonum, qui hunc versum, in quo quinta sedes anapaestum habet, ne voluit quidem commemorare, sed se ipsum etiam ostendit parum esse in horum lectione tragicorum versatum, qui vnum dumtaxat exemplum desideraverit, vbi ex Aeschylo, qui eum legerit, decem, duodecim e Sophocle afferre possit. Porsonus in iis, quae de anapaesti vsu disseruit, vti criticum acumen insigne, ita artis metricae non eam ostendit peritiam, quae ab Euripidis editore iure exspectari poterat. Afferam ipsa eius verba. Vbi dixerat, MSS. auctoritate, scriptorum citationibus, et criticis argumentis exemplorum, quae pro anapaestis laudari solerent, numerum iam valde imminutum esse, *aliam*, inquit, *ipse rationem adiicio, quae si vera est, omnes, opinor, anapaestum paribus senarii locis semper excludendum esse vltro agnoscent. Hanc rationem, non plane quidem nouam, plerisque tamen ignotam, quam breuissime explicabo. Tantum scilicet abest, mea sententia, vt anapaestus*

pro secundo aut quarto pede ponatur, vt ne pro tertio quidem aut quinto substitui possit. Hoc de tertio pede si quis verum esse concedet, concedet a fortiori, vt logici dicunt, de quinto etiam verum esse. Dactylus enim, qui in tertia sede creberrime vsurpatur, in quinta numquam apparet. Anapaestus igitur, si illa excluditur, hanc intrare non potest. Deinde e sex versibus Aeschyli et quatuor Sophoclis anapaestum tertii pedis tollit, idemque se facturum spondet in omnibus, quotquot occurrant, exemplis. Non hego, quos versus emendauit, egregie emendatos esse: illud autem magnopere vereor, vt omnia anapaestorum exempla tam facile corrigi possint. Sed quoniam non tam auctoritate scriptorum, quam artis regulis opinionem suam tueri studuit, hanc ipsam rationem, quam exposuit, perpendemus. Primum igitur quum ait, quod quis de tertio pede verum esse concedat, id eum a fortiori concedere etiam de quinto verum esse, id dupliciter falsum est, partim quod dactyli comparatio neque ad defendendum neque ad impugnandum anapaestum quidquam confert, partim quia anapaestus in tertia sede aegrius etiam, quam in quinta, ferri potest. Ordine singula exponam. Tertiae et quintae sedis haec similitudo est, quod vtraque in imparibus locis numeratur. Inde merito concluditur prorsus parem

rem in vtraque sede syllabarum mensuram pedumque rationem obtinere. Sed iidem loci duabus rebus differunt, altera, quod in tertia sede caesura esse solet, altera quod quinta sedes fini versus proxima est. Nunc vero in tertia sede frequenter dactylus reperitur, vt in Oreste v. 11.

ἔτος φυτεύει Πέλοπα, τῷ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.

Hic autem pes cur nihil isto loco offensionis habet? Si quam offensionem haberet, eius caussa non posset in prima syllaba latere, quae quia anceps est, perinde ac breuis habetur: vnde ne in spondeo quidem, cuius locum dactylus tenet, vlla offensio est. Ergo posteriores dactyli syllabae continere deberent id, quod displicere in hoc pede posset. Si hoc ita est, eodem vitio laboraturus esset tribrachus, vt si Euripides in isto versu scripsisset:

ἔτος ἐφύτευσε Πέλοπα, τῷ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.

At hunc quoque pedem vbique in tertia sede sine vlla offensione collocari animaduertimus. Videamus nunc de dactylo in quinto pede, quem nusquam apud tragicos occurrere Porsonus dicit. Neque ego exemplum noui: quare exemplum petam ex Aristophane:

ἀλλ' εἴ τις ἐς Βακχεῖον αὐτὰς ἐκάλεσεν.

Cur autem hac in sede dactylus tragicis displicuit? Non magis hic, quam in tertia sede, poterit prima dactyli syllaba eius rei caussam continere.

Partim

Partim enim hic quoque ista syllaba, vt anceps, breuis syllabae instar est, partim spondeus, cuius loco dactylus adhibetur, in quinta sede iambo etiam praefertur, vt Sophocles in Philoctete v. 366. et 614. sic scribere mallet,

ἄλλος κρατύνει νῦν, ὁ Λαέρτᾳ γόνος,
κοὐ ταῦθ' ὅπως ἥκασ' ὁ Λαέρτᾳ τόκος,

quam Λαέρτᾳ, quod alioqui frequentius a tragicis vsurpatur. Igitur si in quinta sede non prima syllaba dactyli, sed duae posteriores offensionem habent, tribrachus in ea sede non minus displiceat necesse est. Atque ita est. Quare perrara apud tragicos sunt tribrachi in quinta sede exempla. Aeschylus non nisi tria habet, in Persis v. 499. in Eumenid. v. 477. 794. Nam alia duo in eadem fabula v. 777. et 807. quum sint melicis mixta, iure suo liberiores numeros habent. Tales trimetri in melicis antistrophicis etiam Sophocli restituendi sunt in Electra v. 126. et 142.

κακαῖ τε χειρὶ πρόδοτον; ὡς ὁ ταῖδε πορών.
ἐν οἷς ἀνάλυσίς ἐστιν εὐδεμία κακῶν.

Sophocles quidem in diuerbiis tribrachum in quinta sede vix aliis in locis adhibuit, quam in his quinque, in Oed. R. v. 1496. in Electr. v. 326. in Philocteta v. 1302. et 1327. in Antigona v. 418.

τυφὼς ἀείρας σκηπτόν, ἐρέμνιον ἄγος.

Ἄγος

Ἄγος hic, non ἄχος, scribendum. Caetera exempla corrupta sunt. Aeschylus in Supplicibus v. 274.

τῶνδε καὶπὶ τάδε κρατῶ.

Scribendum videtur,

τῶνδε καὶπὶ τὰ κρατῶ.

In eadem fabula v. 400.

νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένος
εἶναι.

Scribe:

νόμῳ πόλεως ἐγγύτατα φάσκοντες γένος
εἶναι.

Sophocles in Aiace v. 459.

ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα καὶ πεδία τάδε.

Non dubito, quin scripserit πέδον τόδε. Idem in Oed. R. v. 684. vbi Brunkius pro vulgata lectione,

ἀμφοῖν ἀπ' αὐτοῖν; ναυχί· καὶ τίς ἦν λόγος;

male scripsit, καὶ τίς ὁ λόγος ἦν; V. 719.

ἔῤῥιψεν ἄλλων χερσὶν εἰς ἄβατον ὄρος,

Quis credat sic scribere Sophoclem maluisse, quam,

ἔῤῥιψεν ἄλλων χερσὶν ἄβατον εἰς ὄρος.

seruato proprio accentu vocabuli ἄβατον, vt apud Aeschylum,

Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβατον εἰς ἐρημίαν.

V. 763.

κἄπεμψ' ἐγώ νιν. ἄξιος γὰρ ὅδε γ' ἀνὴρ
δοῦλος φέρειν ἦν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ita Brunkius edidit ex quinque codd. Duo alii

ὅδ'

ὅδ' ἀνήρ, Aldus et vulgatae edd. ὧδ' ἀνήρ. Scholia Romana ὅγ' ἀνήρ. Ipsa haec lectionis varietas locum corruptum esse ostendit. Ex adnotatione veteris scholiastae, οἷον τὸ αἴτημα ἐχ ὑπερέβαλε δοῦλον, facile quis coniiciat Sophoclem scripsisse,

ἄξιος γάρ, ὡς ἀνὴρ
δοῦλος, φέρειν ἥν τῆσδε καὶ μείζω χάριν.

Ac possit etiam ad hanc coniecturam defendendam similis locus ex eiusdem fabulae v. 1117. afferri:

ἔγνωκα γάρ, σάφ' ἴσθι· Λαΐῳ γὰρ ἦν,
ἔπερ τις ἄλλος, πιστός, ὡς νομεὺς ἀνήρ.

Verum in neutro loco ὡς aptum videtur. In hoc quidem verba ὡς νομεὺς ἀνὴρ non solum quodammodo repugnant illis, ἔπερ τις ἄλλος, sed etiam per se continent minime idoneam sententiam. Cur enim fides pastorum minus firma sit, quam aliorum hominum? Quod vt in servos recentiorum Graecorum cadat, ab heroicis tamen temporibus alienissimum est. Non multum dissimilis est alterius loci ratio. Nam vt aliud seruo, quam libero homini, praemium dari conueniat, nulla tamen caussa est, quare id hic commemoretur, ita vt verba ὡς ἀνὴρ δοῦλος nihil nisi inutile additamentum contineant. Quin omnino vocabulum δοῦλος, quomodocumque hic locus legatur, superfluum et ineptum est.

est. Quae quum ita sint, vterque locus emendatione indiget, quam perfacilem adhibebimus. Alter enim ita scribendus est:

Λαΐᾳ γὰρ ἦν,
εἴπερ τις ἄλλος, πιστὸς ὢν, νομεὺς ἀνήρ.

In altero similis, sed paullo maior, correctio facienda:

ἄξιος γὰρ ὢν ἀνὴρ
δῆλος φέρειν ἦν τῆσδε κἀμὲ μᾶζω χάριν.

In eadem fabula v. 967.

κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν; ὁ δὲ θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς.

Versus hic minime tragicus est. Scribendum,

κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν, ὃς θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς;

Ibidem v. 1505. e Dawesii emendatione Brunkius dedit,

ὀλώλαμεν δύ' ὄντε, μή σφε περιίδῃς,

pro παρίδῃς. Exempla verbi περιιδεῖν iisdem in pedibus collocati, quae Dawesius protulit, ex Aristophane petita sunt omnia. Quare vereor ne Sophocles scripserit,

ὀλώλαμεν δύ' ὄντε, μὴ περί σφ' ἴδῃς.

Simile est, si vera est Schützii coniectura, Aeschyli illud in Eumenidibus v. 114.

τῆσδε μὴ περὶ
ψυχῆς φρονήσατ', ὥ κατὰ χθονὸς θεαί.

Huiusmodi tmesin adhibuit Sophocles etiam in Antigo-

Antigona v. 1107. et in Trachiniis v. 1160. In Euripide denique qui tribrachi in quinta sede trimetrorum inueniuntur, in his quoque erunt, quos a Porsono sublatum iri spero. Vnum nunc exemplum commemorabo, quod est in Phoenissis v. 512.

ἀνανδρία γάρ, τὸ πλέον ὅστις ἀπολέσας
τᾆλασσον ἔλαβε.

Reponendum e quibusdam vett. edd.

ἀνανδρία γάρ, ὅστις ἀπολέσας πλέον
τᾆλασσον ἔλαβε.

Nunc autem vt redeam ad dactylum in quinta sede trimetrorum, hoc iam videor mihi ostendisse, haud multo minorem tribrachi in isto loco, quam dactyli offensionem esse. Ac ne quis forte miretur, quid sit, quod tribrachum raro, dactylum autem numquam, si vera est Porsoni obseruatio, ista in sede collocauerint tragici, ea minime dactyli culpa est. Nam quum plerique versus trimetri arsin quinti pedis solutam habentes vocabulo quadrisyllabo finiantur, prima syllaba quinti pedis, si is pes dactylus esset, in fine vocabuli futura esset. Atqui vocabulum longa syllaba finiens isto quidem in loco euitatur, cuius rei argumenta exposuimus ad Hecubae v. 341. Quare quid mirum est, si in tanta paucitate tragicorum trimetrorum quintam arsin solutam habentium, nullus

nullus reperitur, in quo dactylus istam sedem teneat?

Ostendimus hactenus parem esse dactyli ac tribrachi offensionem in quinta sede. Cur autem hoc in loco isti pedes improbantur, non item in sede tertia? Nimirum properante ad finem numero solutio longae syllabae hoc magis in tragico versu displiceat necesse est, quo aegrius exhaustis iam pulmonibus in fine versuum celeritas et vis numeri augetur. Eadem in omni genere versuum caussa est, quare in fine multo minor sit, quam in principio, permutationis longarum et breuium syllabarum libertas.

Accedo nunc ad anapaestum. Si dactyli in tertia et quinta sede non est alia, quam tribrachi ratio, patet iam vehementer imminutam esse vim illius argumenti, quo anapaestus comparatione dactyli impugnatur. Nam in dactylo mensura certe syllabarum eadem est, quae in anapaesto; in tribracho autem morae tres tantum reperiuntur. Sed vt discedam a tribracho, quid est omnino, quo anapaestus recte possit cum dactylo comparari? Scilicet in hac re magna cernitur metricorum imperitia, qui moras et syllabas numerare, quam numerum expendere satius duxerint. Dactylus in locis paribus nusquam, in imparibus vbique locum habet.

bet. In his enim prima syllaba incertae mensurae est, quod hanc vim habet, vt ea syllaba, quacumque mensura sit, instar breuis syllabae esse censeatur. Quamobrem dactylus eodem prorsus iure in imparibus locis adhibetur, quo spondeus. Nam sicubi vitatur, id non fit, quia euersurus esset numerum, sed quia minus elegantem numerum reddit, vt in quinta sede. Anapaesti longe diuersa ratio est. Hic pes enim semper et vbique euertit numerum iambicum, quia nulla omnino via excogitari potest, qua per numeri quidem leges anapaestus iambi vicem sustinere queat. Quod si quis forte censeat in imparibus locis pro spondeo, qui mensura par anapaesto est, anapaestum adhiberi posse, vana haec et inepta ratio fuerit. In spondeo enim, quem impares loci admittunt, prior syllaba anceps, i. e. instar breuis syllabae, quae iambi propria est, esse censetur. Quam syllabam qui solueret in duas breues, ea ipsa solutione aut longam esse fateretur, non ancipitem, i. e. correptae loco habendam, aut, si ancipitem haberi vellet, vnius breuis syllabae loco duas breues adhiberi posse censeret, quod absurdum est. Quamobrem per numeri quidem iambici legem ista syllaba non magis solui potest, quam vltima in versibus trochaicis acatalecticis, quae vbi longa est, non est longa, quia

quia solui possit, sed propter plane contrariam causam, quia mensurae eius nulla ratio habetur. Aliter non posset breuis syllaba eius loco vsurpari. Quae quum ita sint, omnis ratiocinatio, qua ea, quae dactylorum vsui propria sunt, ad anapaestos transferuntur, falsa sit necesse est. Hoc igitur est primum, in quo peccauit Porsonus.

Nunc ostendam anapaestum in tertia sede aegrius etiam, quam in quinta, tolerari. Si e dactylis non licet anapaestorum vsum explicare, quid est, quo anapaesti, quos modo demonstrauimus iambico numero repugnare, defendi queant? Nihil sane hic reliquum est, nisi vt ad licentiam confugiamus, quae pedem mensura quidem diuersum ab iambo, sed numero tamen ei persimilem, propter celeritatem pronunciationis, qua occultari quodammodo potest, in iambicis versibus admiserit, vltima dumtaxat sede excepta, in qua debilitatis iam numeri viribus voci pariter atque auribus molesta foret numeri peruersitas. Quae quum ita sint, nulla prorsus caussa est, quare imparibus locis prae paribus aliqua praerogatiua concedatur. Nec sane eam dari videmus in comicorum trimetris, qui, praeterquam in vltima sede, anapaestum in locis omnibus recipiunt, quum dactylum a paribus excludant. Sed quum anapaesti

paesti vsus in iambicis versibus licentiae cuidam debeatur, merito quaeri poterit, an tragici eam pedem omnino admiserint, aut, si eum admisere, qua lege et cautione id fecerint. Parium atque imparium locorum hic nulla ratio haberi poterit, quia, vt patet ex iis, quae supra disputauimus, anapaestus non spondei, sed iambi locum obtinet. Itaque hoc reliquum est, vt propter caussam contrariam ei caussae, ob quam ab vltima sede excluditur, in reliquis sedibus recipi existimetur. Quod si ab vltima sede propter numerorum in isto loco debilitationem arcetur, consequens est, vt ibi admitti possit, vbi integrae adhuc vires numerorum sunt. Habet autem vnusquisque versus maximas numeri vires tum in ipso initio, vbi pleni adhuc spiritu pulmones sunt, tum in iis locis, vbi noui numerorum ordines incipiunt, ob eamque rem reficienda et colligenda vox est. Haec si vera sunt, omnibus in locis trimetrorum, si ab sexta sede discesseris, anapaestus commode collocabitur, sed non in vno eodemque versu. Loquor autem de tragico tantum trimetro. Nam pro diuersa ordinum distributione aut in primo et quarto loco, aut in primo et in tertio et in quinto simul concedetur anapaestus. Quadruplex enim est ordinum in trimetris iambicis divisio, aut haec, quae plerumque obtinet,

Euripi-

⏑ ⏑́ ⏑ – ⏑ | ⏑́ ⏑ – ⏑ | ⏑́ ⏑ –

Euripides in Oreste v. 65.

Μενέλαος ἀγαγὼν Ἑρμιόνην Σπάρτης ἄπο.

aut haec,

⏑ ⏑́ ⏑ — | ⏑ ⏑́ ⏑ — | ⏑ ⏑́ ⏑ —

idem ibidem v. 23.

Χρυσόθεμις, Ἰφιγένειά τ', Ἠλέκτρά τ' ἐγώ.

et Sophocles in illo,

τέκνον τυφλὸν γέροντος Ἀντιγόνη, τίνας.

aut haec,

⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑ — | ⏑ ⏑́ ⏑ —

aut denique haec,

⏑ ⏑́ ⏑ — | ⏑ ⏑́ ⏑ — ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑ —

In quibus formis etsi nulla est, quae principium ordinis in secunda sede habeat, poterit tamen in hac quoque sede anapaestus eo excusari, quod primus versuum ordo, quo pleniore spiritu profertur, eo facilius paullo maiorem numeri vehementiam admittat, vt in hoc Aeschyli versu,

ἑκατοντακάρανον πρὸς βίαν χειρούμενον.

Haec si vere disputata sunt, clarum esse arbitror, ex numeri quidem legibus nullum peti argumentum posse, quo anapaesti aliis tragicorum trimetrorum sedibus, si vltimam exceperis, adiudicentur, ab aliis autem arceantur. Quod si tamen numerus ipse anapaestum ab vna quinque priorum sedum magis, quam a caete-

caeteris, remoueri postulat, erit ea non quinta sedes, vt videtur Porsono, sed tertia. Quintae enim sedis prorsus eadem ratio est, quae est primae, secundae, quartae. Sola tertia eo a caeteris differt, quod in eam incidere solet caesura. Ac sane si in ista sede eiusmodi anapaestus est, cuius vltima syllaba vocabulum inchoat, peior videtur esse, quam si totus in eodem vocabulo est. Nam quum singuli versuum ordines quasi pro totidem versibus habeantur, violaretur ea re lex ista, quae syllabas ancipites in fine versuum atque ordinum solui prohibet, vt in illo Aeschyli versu, quem cum aliis attulit Porsonus,

ἅπερ φιλόξενός ἐστιν Ἀγιοσθε βία.

Qui si in ordines suos distribuitur, primus ordo, qui trochaeo finiri debebat, prorsus contra morem dactylo finietur,

Ac videor mihi hoc affirmare posse, quemadmodum alibi anapaestica systemata, quae paroemiaco versu finiuntur, inter antistrophicorum carminum periodos collocari solent, ita Euripidem interdum antistrophica carmina anapaestis arctius coniunxisse, ita vt nunc ex anapaestis siue acatalecticis, seu catalecticis ad antistrophicos, nunc ab antistrophicis ad anapaestos, ipsa orationis perpetuitate seruata, transiret, modo etiam inter medios anapaestos vteretur versibus antistrophicis. Idemque fecit vbi anapaestorum vicem systemata dochmiorum sustinent. Hinc fit, vt plerumque eos tantum versus, qui non sunt anapaestici aut dochmiaci, antistrophicos numerare oporteat, anapaestici autem et dochmiaci, qui hos comitantur, nunc plures nunc pauciores pro re nata sint, vt fieri solet in systematibus ἐξ ὁμοίων. Anapaestis

paestis mixtos versus antistrophicos hoc in loco, dochmiis infra v. 1041. seqq. videbimus.

Sed ne videar Euripidi aliquid affingere velle, quod a caeterorum tragicorum consuetudine prorsus abhorreat, e Sophocle haud multum dissimilia exempla afferam, quae quum sint media inter commune carminum antistrophicorum et hoc genus, quod apud solum Euripidem inueni, magna analogiae probabilitate sententiam meam confirmabunt. Atque illud quidem satis constat, antistrophicos versus sic interdum iambicis, aliisue, qui continui adhiberi solent, mixtos reperiri, vt etiam singulus versus ab reliquis antistrophicis iambicorum aliorumue intercessione separetur. Quod si medias strophas iambici interpellant, horum semper in antistropha par numerus est. Eius rei illustre documentum exstat in Aiace v. 879-914. 925-960. Male is locus in tres strophas, totidemque antistrophas diuisus est, quas vnam dumtaxat stropham, vnamque antistropham esse oportebat. Nam quae in eo loco putantur epiphonemata, non minus, quam caeteros versus, antistrophicorum legi obnoxia esse patet. Quare v. 891. aut alterum ἰὼ delendum est, aut in v. 936. qui huic respondet, bis scribendum ἰώ: quod equidem malim, vt versus sit dochmiacus. Similis locus in eadem fabula est, v. 364-376. 379-391. vbi duae strophae atque antistrophae in vnam stropham vnamque antistropham coniungendae sunt; et in Electra v. 1232-1272. qui locus pariter vnam tantummodo stropham atque antistropham continet: sed v. 1245. ita scribendus,

ὅττο-

ἐττοτοτοτοττοτά.

Nam nihil neque in stropha neque in antistropha excidit, nisi vnus trimeter iambicus. Similiter singuli versiculi nonnumquam singularum stropharum loco sunt, aut post parem iambicorum numerum, vt in Trachiniis v. 865. cui respondet v. 868. deinde v. 890. cui respondet v. 892. et in Aiace v. 333. cui respondet v. 336. tum alius Baccheus v. 349. epodi loco est; aut post imparem numerum iambicorum, vt in Oed. R. v. 1468. cui respondet v. 1471. quibus v. 1475. pro epodo additus est; et in Philocteta, vbi stropha constat versibus 732. et 736. antistropha autem versibus 739. et 750. Sed primus strophae atque antistrophae versus, qui, vt secundus, Bacchiacus est, ex Aldina editione corrigi debet, in qua est ἄ ἄ ἄ. In eadem fabula simile exemplum occurrit, variato stropharum ordine: stropha 1. v. 760. stropha 2. v. 785. antistropha 2. v. 787. antistropha 1. v. 790. vbi ex Aldinae vestigiis scribendum ἀτατταταῖ. stropha 3. v. 796. antistropha 3. v. 804. Haec moris tragicorum observatio multis locis salutem afferre poterit. Sic in Aiace v. 866.

πόνος πόνῳ πόνον φέρει,

proodus est. Eum sequitur strophicus versus,

πᾶ, πᾶ, πᾷ γὰρ ἐκ ἔβαν ἐγώ;

vnum adiunctum habens iambicum trimetrum. Hinc deleto altero ἰδέ corrigendus antistrophicus,

ἰδέ, δέπον αὖ κλύω τινά.

Mox

Mox duo sibi respondentes monometri Bacchiaci sequuntur, quorum vtrique subiunctus est iambicus trimeter. In eadem fabula v. 974. Teucer dicit ἰώ μοί μοι, inter medios trimetros; idem v. 1002. dicit οἴ μοι. Non dubitem hic quoque ἰώ μοί μοι reponere, is versus vt priori respondeat. In Oedipo Coloneo v. 315. est τί φῶ; Itaque quod mox v. 318. legitur, τάλαινα, scribendum est τάλαιν'. In eadem fabula vers. 1271. Bacchiacus monometer est,

τί σιγᾷς.

Ei nullus respondet. Sed paullo ante v. 1252. interroganti Oedipo τίς ἔτος Antigona dicit,

ὄνπερ· καὶ πάλαι κατείχομεν
γνώμῃ, πάρεστι δεῦρο Πολυνείκης ὅδε.

Videndum ne litterarum similitudine factum sit, vt principium trimetri interierit, et sic scripserit Sophocles:

τίς ἔτος;
αὐτός γε, τόνπερ καὶ πάλαι κατείχομεν
γνώμῃ, πάρεστι δεῦρο Πολυνείκης ὅδε.

Verba τίς ἔτος non minus digna peculiari versu esse, quam τί σιγᾷς, facile intelliget, qui, quo animo haec dicat Oedipus, reputauerit. Haec igitur si Sophocles fecit in iambis, quidni amplius progredi potuit Euripides, idem vt faceret in anapaestis et dochmiis? Latuerunt sane Euripidea exempla hoc magis criticos, quod is versus antistrophicos minus, quam Sophocles, personarum mutatione atque orationis terminationibus ab iis versibus, quibus intermixti sunt, disiunxit.

In

In iis quidem, quae Hecuba hinc vsque ad v. 94. loquitur, vsitatum morem seruauit Euripides, vt periodos antistrophicorum versuum inter plena et paroemiaco finita anapaestorum systemata collocaret. Nam stropham, quae v. 73-75. constat, tria, antistropham autem, versus 87-89. comprehendentem, duo systemata anapaestorum praecedunt: aliud denique post antistropham adiecit systema anapaesticum.

Itaque vel ex hac obseruatione clarum est, versiculos istos,

λάβετε, φέρετε, πέμπετ',
ἀείρατέ μ' ὦ δέμας,

in anapaestorum legem cogendos esse. Sed praeterea etiam satis grauia argumenta sunt, quae Brunkianam versuum descriptionem labefactent. Primum enim πέμπετ' in fine versus imperitissime collocatum est. Non solent verba, quorum vltima syllaba eliditur, versum finire, praesertim vbi penultima syllaba brevis est, et prima sequentis versus syllaba non arsin, sed anacrusin habet, ob eamque rem ictu destituitur. Syllabam elisam enim continuo sequi debet alia syllaba, ne vox suspensa et quasi repente intercepta haereat. Nam quum in cuiusque versus fine aliqua pronunciationis pausa fieri debeat, barbarum prorsus et nihili vocabulum audiri necesse est, πέμπετ. Id magis dixi offensui esse, si proximus versus anacrusin habeat. Nam quum eam anacrusin thesis praecedat, quae et naturae eiusdem et mensurae est, maior etiam inter vtramque pausa fieri debebit, ne anacrusis ad thesin videatur

deatur pertinere, versusque duo in vnum coalescant. Quare lenior sonus est, si aut anacrusis abest, vt,

λάβετε, φέρετε, πέμπετ',
αἴρετέ με δέμας.

aut thesis, vt,

λάβε, φέρε, πέμπ',
ἆειρέ με δέμας.

Deinde vero quid haereamus in versibus, quorum nec per se neque hoc loco apti numeri sunt, quum sinceram lectionem, quae etiam absque librorum auxilio facile restitui posset, codex coenobii Iberorum in monte Atho, quem Beckius littera D. notauit, et liber Vitebergensis offerant, in quibus δέμας abest. At nimirum alibi aut hoc vocabulum aut aliud addi quis dicat, vt in Hippolyto v. 199.

αἴρετέ με δέμας.

et mox,

λάβετ' εὐπήχεις χεῖρας, πρόπολοι,

et v. 216.

πέμπετέ μ' εἰς ὄρος.

Quod argumentum sane aliquam vim habiturum esset, si hic nomen, quo imperatiui isti referendi essent, omissum foret. Sed id facile reduci potuit, deleta maiore interpunctione, quae vulgo post ἄναασσαν ponebatur. Sic enim omnia continuantur: ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γεραιὸν πρὸ δόμων, ἄγετε, λάβετε, φέρετε, πέμπετε, ἀείρατε.

Dicam

Dicam nunc de loco Electrae Sophocleae, cuius loci supra mentionem feci. Is continetur versibus 86-114. Ibi anapaestis acatalecticis et catalecticis etsi non alii numeri, dimetri tamen anapaestici brachycatalectici mixti sunt, quod genus in systematibus anapaestorum nusquam occurrit. Eiusmodi sunt v. 86. 87.

ὦ φάος ἀγνὸν καὶ γῆς
ἰσόμοιρος ἀήρ, ὥς μοι.

Sed numeri sic debent restitui:

ὦ φάος ἀγνόν,
καὶ γῆς ἰσόμοιρος ἀήρ, ὥς μοι.

Deinde v. 104.

στυγερῶν τε γόων, ἔς τ' ἄν.

Si locus ita scribendus est:

στυγερῶν τε γόων, ἔς τ' ἂν λεύσσω
παμφεγγεῖς ἄστρων ῥιπάς,
λεύσσω δ' ἦμαρ.

Denique v. 112.

σεμναί τε θεῶν
παῖδες Ἐρινύες, αἳ τὸς
ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε,
τὸς τὰς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους.

In hoc loco, vt in Hecubae versu δέμας, παῖδες debetur interpretibus. In vltimo autem versu ineptum articulum τὰς recte omittit Aldina. Sed praeterea copulam excidisse manifestum est. Scribe:

σεμναί τε θεῶν Ἐρινύες, αἳ τὸς
ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε,
καὶ τὸς εὐνὰς ὑποκλεπτομένους.

Eodem

Eodem modo in Trachiniis v. 1085. 1086. duo dimetri brachycatalectici corrigendi sunt, quorum posterior etiam vltimae syllabae vitiosus est. Scribendum:

ὦ ναξ Ἀΐδη,
δέξαι μ' · ὦ Διὸς ἀκτίς, παῖσόν μ',
ἔνσεισον, ὦ ναξ, ἐγκατάσκηψον βέλος,
πάτερ, κεραυνῷ.

Miror, quod Brunkius versus istos dactylicos vocat; magis miror, quod etiam v. 1081. dactylicum dicit,

αἰ αἰ, ὦ τάλας, ἔ ἔ.

Is dochmiacus est, ita scribendus:

αἰ αἰ, ὦ τάλας, ἔ ἔ ἔ ἔ ἔ ἔ ἔ.

Anapaestica illa epiphthegmata, quae senariis miscentur, communes habent anapaesticorum systematicorum formas. Itaque etiam in Electra Sophoclis v. 1160. numeri sic restituendi sunt:

οἴ μοι.
ὦ δέμας εἰκτρόν.
φεῦ, φεῦ.
ὦ δεινοτάτας, οἴ μοί μοι,
πεμφθεὶς κελεύθες, φίλταθ', ὅς μ' ἀπώλεσας.

V. 64. *Numerosius*, inquit Porsonus, *esset γεραίας*. Hoc e perplexa illa obseruatione depromptum est, in quam inquiremus ad v. 341. Nisi vehementer fallor, γεραῖος solis iambis proprium est, γεραιὸς anapaestis conuenit, quorum paullo altius sermo assurgit. Hinc γεραιᾶς reponi vellem in Supplicibus v. 1116. et γεραιὰς in Hercule furente v. 450. mutata a metri-

metricis, qui de mediae syllabae correptione verebantur.

V. 65. Σκίπωνι pro σκίμπωνι ediderunt Brunkius et Porsonus, nescio quo litterae M odio adducti. Librorum certe MSS. auctoritati parum in hoc genere tribui debet, qui recentiorem in multis verbis pronunciationem sequantur. De isto M addendo magis quam omittendo dicimus in libro de emendanda ratione Graecae Grammaticae. Codex Vitebergensis σκίπτωνι. Suidas: σκίπωνος, τῆς ῥάβδου. καὶ σκίπτωνος. Hinc reposuimus σκίμπτωνι, quae vt antiquior, ita etiam magis poetica forma est.

V. 68. Verba ὦ στερόπα Διός recte videtur Wakefieldius de die intelligere, quod firmat Hesychii testimonio, στερόπη per αὐγὴ explicantis. Aptius commemorasset Sophoclem, a quo in Trachiniis v. 99. Sol dicitur λαμπρᾷ στεροπᾷ, φλεγέθων. Στεροπὰ Διὸς igitur idem quod infra v. 693. Διὸς φάος. Hac interpretatione clarum fit, merito improbari a Wakefieldio Porsoni opinionem, sedes hemistichiorum, ὦ σκότια Νύξ, et ὦ πότνια χθών, permutandas censentis. Caeterum ex hoc loco expressa sunt haec Ennii,

o magna templa caelitum,
commixta stellis splendidis,

quae seruauit Varro de L. L. VI. p. 66. fabulae, non auctoris nomine indicato.

V. 69. Cod. D. et edd. veteres, et scholiastes Aristophanis ad Ranas v. 1366. τί ποτ' αἰέρομ' ἔννυχος ἕτως. Scaliger αἰωρῶμ' emendauit, quod exstat in MS. Cottoniano. Brunkius lectionem

ctionem Kingio et Heathio probatam ἀείρομαι recepit, primam syllabam productam putans. Quod in Attico scriptore fieri posse exemplis erat demonstrandum. Wakefieldius denique τί ποτ' ἄρ' αἴρομαι corrigit. Porsonus recte videtur ἄἴρομαι seruasse, quod est in codd. Mosqu. A. C. et Vitebergensi. Nihil enim obstat, quod versu paroemiaco sententia non finitur, cuiusmodi aliquot alia occurrunt exempla. Quin si post paroemiacum ita continuatur oratio, vt addatur aliquid, quod etiam omitti potuisset, tantum abest, vt reprehendi distinctionis omissio possit, vt maior quaedam in ea vis atque elegantia esse videatur. Id et hoc in loco cernitur, et apud Aeschylum in Agamemnone v. 66. seq. Si quid tamen hic mutandum foret, mallem scribi,

τί ποτ' αἴρομαι ἐννυχίοις ἔτω
δείμασι, φάσμασιν.

Sed ἔννυχος exstat etiam apud scholiasten Aristophanis l. c. qui hinc affert: ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ, τί ποτ' αἴρομ' ἔννυχος.

V. 70. Librorum lectionem, qua Terra perhibetur Somniorum mater, tuentur scholiastes Aristophanis atque Eustathius, a Porsono indicati. Quorum alter ad Ranas v. 1366. haec habet: φασὶν, ὡς πάντα ταῦτα τὰ ἔπη ἔκ τινος δράματός ἐστιν Εὐριπίδου. Ἀσκληπιάδης παρὰ τὰ ἐξ Ἑκάβης Εὐριπίδου, ἐν μιμήσει δηλονότι. ἔτω γὰρ παραγέγραπται· ὦ στεροπὰ Διός, ὦ σκοτία νύξ, τί ποτ' αἴρομ' ἔννυχος. Et mox: νυκτὸς δὲ παῖδα ἐνταῦθα εἴρηκε, καίτοι ἐν Ἑκάβῃ μελανοπτερύγων ὀνείρων εἰπὼν τὴν γῆν μητέρα. Eustathius autem ad

Iliad.

Iliad. II. p. 173. l. 15. σημείωσαι δέ, inquit, ὅτι Ὁμήρῳ εἰπόντος, ὡς ὄνειρος τάδε εἰπὼν ἔπτατο ἀποπτάμενος, πτερωτοὶ ἐντεῦθεν οἱ ὄνειροι [illegible]πλάσθησαν. διὸ καὶ Εὐριπίδης τὴν γῆν μελανοπτερύγων ὀνείρων μητέρα καλεῖ. Idem ad Od. XIX. p. 1877. l. 53. οἱ μὲν δὴ ἐξ ἐλεφάντων ὄνειροι ἐξ αἰσθήσεώς εἰσιν, ἢ, μᾶλλον εἰπεῖν, ἐκ γῆς μελανοπτερύγων μητρὸς ὀνείρων. Nihilominus tamen Porsonus ὦ σκοτία Νύξ, μελαναπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων scribendum coniicit, illis, ὦ πότνια χθών, in versum 67. reiectis. Sic enim ei ipse Aristophanes l. l. legisse videtur. Verum vel leuiter intuenti in Aristophanis locum non potest dubium esse, quin is non Hecubam, sed longe aliam quamdam fabulam spectauerit. Scholiastae autem, vnde ista petita essent, ignorantes, Hecubam, eamque ipsam satis dubitanter, compararunt. Si quid mutandum sit, quis non amplectatur elegantem Wakefieldii correctionem, versum hunc ex hoc, in quo nunc est, loco post v. 67. translocantis:

ὦ σεροπὰ Διός, ὦ σκοτία Νύξ,
μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.

Nam quum omnino probabilius est, Noctem, quam Terram, somniorum matrem dici, tum ita et Hesiodus in Theog. v. 212. et ipse Euripides apud Aristophanem l. l. perhibet, vbi ὄνειρον dicit μελαίνας Νυκτὸς παῖδα. Sed nihil mutandum. Sincera enim vulgata lectio est, modo recte intelligatur. Non orbatur Nox filiis suis, Somniis, sed Orcus atra dicitur et funesta somnia gignere. Χθὼν enim, vt saepe, loca infera notat. Sufficiant haec Amphitruonis verba in Herc. Fur. v. 45.

ἠνίκα

ἡνίκα χθονὸς
μέλαιναν ὄρφνην εἰσέβαινε παῖς ἐμός.

Μελανοπτέρυγες autem non simpliciter ornans epitheton est, sed male ominata somnia indicat, vt infra v. 692. ἔ με παρέβα φάσμα μελανόπτερον. Atque hoc facilius potuit Euripides somnia Tartaro oriunda dicere, quod circa haec loca δῆμος ὀνείρων ab Homero collocatur in Odyss. XXIV. 12. v. Eustath. p. 1951. l. 60. Hinc ibidem Somniis sedem assignauit Virgilius VI. Aen. v. 283. ss. 894. ss. Videndum etiam, ne forte huc pertineat fragmentum XVII. Meleagri Euripidei, quod quum Valkenarius nimis audaci coniectura tentauerit, leniore fortasse medicina sic licebit corrigere:

τερπνὸν τὸ φῶς μοι· τὸ δ' ὑπὸ γῆν Ἅιδα σκότος
ἐδεές, ὀνείρων ἔδας, ἂν θρασυς μόλοι.

V. 73-75. Vulgata lectio haec est, ἂν περὶ παιδὸς ἐμᾶ τᾶ σωζομένᾳ κατὰ θρῆκην, ἀμφὶ Πολυξένης τε φίλης δυγατρὸς δι' ὀνείρων εἶδον. εἶδον γὰρ φοβερὰν ὄψιν, ἔμαθον, ἐδάην. Inde Brunkius, quum Πολυξείνης emendasset, duos hexametros dactylicos eruit, et omissis auctoritate membranarum duobus vocabulis, orationem sic continuauit, δι' ὀνείρων εἶδον, φοβερὰν ὄψιν, ἔμαθον, ἐδάην. Sequutus est eam emendationem Porsonus, nisi quod aliam adhibuit metrorum diuisionem in iis, quae hexametros dactylicos excipiunt. Bene factum, quod partem interpolationis sustulerunt. Sed amplius progrediendum esse facile potuerant antistrophici versus monstrare, si ad eam rem attendissent. Verum Brunkius ea, quae in antistropha post versus hexametros leguntur, in alium, si diis

placet, hexametrum coegit, quo nihil fingi deterius potest:

οἰκτρῶς. καὶ τόδε δεῖμά μοι· ἦλθ' ὑπὲρ ἄκρας.

Sic ille huncce dactylicum hexametrum, quem quinque tantum pedes habere non animaduertit, leniter ad finem dicit decurrere. At enim vero stropha atque antistropha binis constat dactylicis hexametris, vnoque anapaestico paroemiaco. Scilicet maioris etiam interpolationis sedem opportune indicat codex Moscouiensis A. in quo prius εἶδον post φίλης collocatum, mox autem δι' ὀνείρων. εἶδον γὰρ scriptum est, vt in Viteberg. libro, qui, vt alii, semel tantum εἶδον habet. Libro igitur isti Moscouiensi deberi puto veram sedem verbi εἶδον. Inde deleto vocabulo θυγατρός, quod ab interpretibus profectum est, et versus dactylicus iustis numeris decurrit, et, qui sequitur, paroemiacus:

φοβερὰν ὄψιν, ἔμαθον, ἐδάην.

In eo vltima arsis duabus breuibus syllabis constat, cuius solutionis rarissima sunt exempla. Sic tamen in Iphigenia Taur. v. 130. vt recte ibi adnotauit Marklandus:

πόδα παρθένιον ὅσιον ὁσίας.

V. 77. Libri omnes, ὃς μόνος, οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν, τὴν χιονώδη Θρῄκην κατέχει. In qua lectione nihil est, quod reprehendi queat. Tamen Porsonus Reiskii inutilem et languidam coniecturam recepit, οἴκων ἄγκυρ' ἄτ' ἐμῶν, probante censore Britanno, credo quod, vt alio in loco obseruat, Porsonus ad Toupii emend. in Suidam p. 489. copulam post secundum verbum

bum non suo loco positam dicat. Sed id vt rarius fiat, minime tamen caret exemplis. Euripides in Phoenissis v. 236. Διονύσε οἵνα τε. Iste locus nescio qua criticorum socordia prorsús contra morem epodus habetur inter media carmina antistrophica. Lacuna notata, (nam primus strophae versus excidit, cuius initium, vt e scholiis et paraphrasi coniicias, fuisse videtur, ὦ Παρνασία,) et vnius verbi mutata sede restituendi numeri:

στρ. ὦ . . . . . .
. . λάμπεσα πέτρα πυρὸς
δικόρυφον σέλας ὑπὲρ ἄκρων
Βακχείων, Διονύσε
οἵνα θ', ἃ καθαμέριον
σαίζεις τὸν πολύκαρπον εἰ-
ναίνδας βότρυν ἱεῖσα·

ἀντ. ζάθεά τ' ἄντρα δρακόντος, ἔ-
ρεσσά τε σκοπιὴ θεῶν,
νιφόβολόν τ' ὄρος ἱερόν, εἰ-
λίσσων ἀθανάταις θεᾶς
χορὸς γενοίμαν ἄφοβος,
παρὰ μεσόμφαλα γύαλα Φοί-
βᾳ Δίρκαν προλιπᾶσα.

Aeschylus Septem c. Theb. v. 649.

καὶ πόλιν
ἕξει, πατρῴων δωμάτων τ' ἐπιστροφάς.

In Agamemnone v. 666.

αἱ δὲ κεροτυπέμεναι βίαι
χειμῶνι, τυφῶ σὺν ζάλῃ τ' ομβροκτύπῳ.

Et in Suppl. v. 297.

Κύπριος χαραπτήρ τ' ἐν γυναικείοις τύποις.

Wakefieldius autem μένος, οἶκον ἄγκυρά τ' ἐμῶν scribendum censet, eleganter sane: sed non est, quod ob huius inuenti palmam Lucretianis versibus debacchari necesse habeat. Demonstrandum enim erat, μένος tragicis, qui omnino hac voce raro vtuntur, idem esse, quod σθένος. Quod vereor, vt possit alio exemplo firmari, quam Aeschyli loco in VII. c. Theb. v. 395. qui ipse locus magnae obnoxius est dubitationi.

V. 79. Porsonus πατρῴᾳ, quod libri ad vnum omnes habent, in πατρίᾳ mutauit. *Quum enim Attici*, inquit in addendis, πάτριος *et* πατρῷος *promiscue vsurpent, cur ad licentiam poeticam, nulla necessitate cogente, prouocemus?* Id perinde est, ac si quis in poeta prosaicas loquutiones poeticis substituere velit, quia idem breuius et simplicius dicant. Non solum in orationis genere poetae exquisitiora quaerunt, quod ea magis animum percellant, sed in singulis etiam verbis curant, vt grauitate vocis atque insolentiore sono vltra communis sermonis assurgant tenuitatem. Obseruandum tamen, πατρῷος media correpta neque in iambis inueniri, quippe propius ad communem sermonem accedentibus, neque aliis in metris tum adhiberi, quum vltima syllaba non est in ictu.

V. 81. Scripsimus χἤξει τι μέλος. In libris omnibus ἔσαι τι νέον· ἥξει τι μέλος, violata lege systematum, quam imperitissimus iste Heathius addito γὲ sospitandam putabat. Ita χ' pro καὶ exciderat in Soph. Oed. Col. v. 13. et Antig. v. 130.

V. 89.

V. 89. Hic versus vt strophico respondeat, paroemiacus esse debet. Quare καὶ τόδε μοι δεῖμα scripsi, pro his, καὶ τόδε δεῖμά μοι, vt libri omnes habent. Pronominum sedes frequenter in libris fluctuat.

V. 95. Satis imperiose Wakefieldius πρός ἀ ἐβιάσθην corrigit, probante censore Ienensi. Monuit eruditus censor Britannus, vt βιάσασθαι media forma hanc vim habeat, non posse eam passiuo tribui βιασθῆναι. Λιάζεσθαι est *secedere*. Quod si forte isti λιάζεσθαι πρός τινα non putabant recte dici, recordari debebant Homeri, similiter loquentis in Iliad. XXII. 12.

σὺ δὲ δεῦρο λιάσθης,

et Odyss. IV. 838.

ὡς εἰπὼν σταθμοῖο παρὰ κλῆίδα λιάσθη
ἐς πνοιὰς ἀνέμων.

Censor Britannus duos memorauit Eustathii locos pag. 1215. l. 13. 1254. l. 35. quibus adde p. 1341. l. 9.

V. 107. Libri omnes οἶσθ' ὅτε. Canteri emendationem ὅτι Musgrauius et recentiores editores sequuti sunt. Praeterea Canterus ἴσθι legendum censebat, quo quidem minime opus est, quum Achillem apparuisse iam pridem sciat Hecuba. Porsonus librorum lectionem miris argumentis defendit. *Plus est*, inquit, *si quis simul et rem ipsam et rei tempus, quam si rem solam memoret.* Deinde exempla affert in quibus οἶσθα, μέμνησαι, μνημονεύεις, adiunctum habent ὅτε, aut ἡνίκα. Sane plus est, si quis simul et rem ipsam et rei tempus, quam si rem solam memoret. Sed vbinam hic, obsecro, rei tempus memoratum esse ostendet? Οἶσθ' ὅτε ἐφάνη num-

numquam aliud quidquam significabit, quam, *scis, quando apparuit.* Id autem quid tandem sibi volet, quam hoc, *scis apparuisse, quum appareret.* Hoccine vero sit tempus rei memorare? Immo iuxta ineptum est ac quod apud nostrates infima plebs *cur* interrogantibus respondere solet *propterea.* Scilicet quae exempla huius loquutionis attulit vir celeberrimus, eorum ipse rationem non satis perspexit. Omnia enim interrogationem continent: quae res in hac loquendi formula summum momentum habet. Etenim in omnibus exemplis, in quibus interrogatio est, οἶσθα non pertinet ad eam rem, quae cum particula ὅτε coniuncta narratur, sed ad longe aliam, quae reticetur. Ita iam nihil inepti in hac loquutione est, vt in ea, quam ille hic Euripidi obtrudere voluit, sed omnia rationi maxime consentanea sunt. Interrogatio enim haec est: *scisne, quum hoc fiebat, quid tum acciderit?* Hoc postremum, *quid tum acciderit,* omittitur, vt is, qui interrogatur, temporis, quo acciderit, memoria tactus, ipse rem, quae acciderit, recordetur. Tantum ergo abest, vt in ista formula simul et res et tempus rei memoretur, vt res reticeatur, soliusque temporis mentio fiat. Aliquid horum etiam Wakefieldio suboluisse credas, qui, de lectione assentiens Porsono, verba eius sic corrigit: *plus est, si quis tempus rei, quam rem ipsam, memoret; quia in tempore comprehenditur necessario res ipsa, sed in re non ita vicissim tempus.* Verum haec non minus inepta sunt. Nam si οἶσθ' ὅτε ἐφάνη significare putauit, *nosti, quo tempore apparuerit,* id hoc loco non

non est aptum, quia, quocumque tempore apparuerit, nihil interest, dum omnino aliquando apparuerit; sin vero significare censuit, *nosti aliquando apparuisse*, (idque solum in mente habere potuit) ὅτε nullum sensum praebet. Non est enim *aliquando*, sed *quando*, quod aliquo certe referri debet. Atqui hic nihil est, quo illud, apparuisse Achillem, referatur, quam ad id ipsum, quod ille apparuit. Idem ergo diceretur atque in Porsoni explicatione, tum apparuisse eum, quum appareret. Ponam nunc vnum tantummodo ex iis exemplis, quae Porsonus attulit, (nam eadem omnium ratio est) quo clarius cognoscatur, alienissimam ab hoc loco istius loquutionis naturam esse. Infra v. 237. sic loquitur Hecubâ:

οἶσθ' ἡνίκ' ἦλθες Ἰλιὰς κατάσκοπος,
δυσχλαινίᾳ τ' ἄμορφος, ὀμμάτων θ' ὑπὸ
φόνῳ ϛαλαγμοὶ σὴν κατέσταζον γένυν;

His verbis non dicit, *nostine te aliquando Ilium venisse?* sed, *nostine, quum Ilium venisses, quid tum fecerim?* Innuit enim sua opera seruatum esse Vlixem. Id quod paullo post disertim interrogat,

ἔσωσα δῆτά σ', ἐξέπεμψά τε χθονός;

Atque ipse Euripides optimus est huius formulae interpres in Troad. v. 69.

ΑΘ. ἐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με κἀπὸ ναὸς ἐμοῦ;
ΠΟ. οἶδ', ἡνίκ' Αἴας εἵλκε Κασάνδρειον βίᾳ.

Iam vero sane etiam absque interrogatione eadem formula adhiberi poterit, sed tum demum, quum eadem inest sententiae ratio, vt si quis dicat,

dicat, *nosti, quum hoc fieret, quid praeterea factum sit.* At vero qui tandem id ad nostrum locum quadraret? Nam si chorus Hecubae diceret, *nosti, quum Achillis vmbra appareret,* non habiturus esset quidquam, quod tum factum meminisse crederet. Id enim, quod factum erat, vt Polyxenae immolationem expeteret, iam commemorauerat chorus. Nisi hoc fecisset, recte poterat dicere εἶσθ' ὅτε ἐφάνη, quo mortem puellae tectius indicaret, matrisque dolori parceret. Nunc vero quum hoc non fecerit, non dubitamus nos quidem Canteri emendationem probare.

V. 114. Vulgo Ἑλλάνων, quod liber Vitebergensis et Porsonus seruant. Iidem v. 136. Ἑλλήνων, quod Brunkius hic quoque habet cum codd. Mosqov. A. D.

V. 134. Verba τάντα φθιμένων in edd. vett. monometer sunt; qui versus autem sequuntur, dimetri. Brunkius et Porsonus monometrum constituerunt ante paroemiacum, vt, qui praecedunt, omnes dimetri essent. Vide quae diximus ad Aristophanis Nubes v. 1012. 1096.

V. 144. Recte Porsonus γαίας. Libri omnes, atque ipse Brunkius, γαῖαν, contra legem systematum. Caeterum recte in Brunkiana hic versus et is, qui paroemiacum antecedit, monometri sunt. Male Porsonus omnes dimetros fecit.

V. 149. Χρυσοφόρῳ Wakefieldius in χρυσοφόρᾳ mutat, nihil moraturus eos, qui aut captivam Polyxenam multum auri gestasse putent, aut non videant, elegantem poetam hic de naturali

turali quodam decore cogitaturum fuisse. Copiose ostendit censor Britannus, neque Graecum esse χρυσόφοβος, nec, si esset, epitheton esse posse δέρης; aurum autem, quod gestatura sit Polyxena, idem ad ornatum pertinere putat, quem adhibere soliti fuerint morituri, allatis Heraclid. v. 569. Suppl. 1057. Aelian. V. H. I. 16. eiusque interpp. et Doruill. ad Char. p. 68. Docte sane, quamquam simplicior mihi quidem et venustior videtur Porsoni explicatio, aurum intelligentis, quo plurimo virgines sese ornabant. Augent enim miserationem iucunda opposita tristibus.

V. 151. Quod sequitur carmen, tredecim systematibus anapaesticis constat, ea ratione, quam supra ad v. 63. indicauimus, vt anapaestis intermixti sint versus antistrophici. Systemata haec sunt: primum v. 151-155. secundum v. 156-161. tertium v. 162-165. cui respondet systema vndecimum; quartum v. 166-177. quintum v. 178. 179. ex vno dochmiaco et anapaestico dimetro acatalectico; sextum v. 180. 181. quod quinto respondet; septimum v. 182. 183. ex vno dimetro anapaestico acatalectico et dochmiaco; octauum v. 184. 185. quod septimo respondet; nonum v. 186-188. e duobus anapaesticis et vno dochmiaco; decimum v. 189-191. quod nono respondet; vndecimum v. 192-208. quod tertio respondet; duodecimum v. 209. 210. decimum tertium denique v. 211-213. Caeterum hinc sumptus videtur Ennii versus,

hei me miseram, interii, pergunt lauere
sanguen sanguine.

Ennii

Ennii ex Hecuba esse testatur Nonius in *sanguis* p. 224. in *lauare* p. 466. in *lauere* p. 504. In postremo loco *miserum* legitur. Videtur haec dixisse Hecuba statim audito de immolatione filiae nuncio. Mox fortasse illa addidit numero anapaestico:

miserete anuis,
date ferrum, qui me anima priuem,

quae ex Ennii Hecuba affert Nonius in *miserete* p. 474. Nihil simile in Euripide. Ac male Columna comparauit v. 384. Caeterum recte idem videtur *anuis* edidisse, pro quo apud Nonium est *manus*.

V. 160. Libri ποῖ δ' ἥσω; πῇ τις θεῶν ἢ δαιμόνων ἐπαρωγός. Musgrauius corrigit, ποῖ δ' ἥσω πόδα; τίς θεῶν, (vel θεός) ἢ δαίμων νῷν ἔτ' ἀρωγός; Id sequutus est Brunkius, nisi quod ἢ τίς δαίμων ἐπαρωγὸς scripsit, elegantius sane. Nam et νῷν, quod ne ad sonum quidem elegans est, et ἔτι friget. Porsonus ex vno MS. Kingii, cuius lectionem Musgrauius a scholiasta correctam ex eius adnotatione colligit, ποῖ δ' ἥσω; πῇ τις θεῶν ἢ δαίμων ἔς' ἐπαρωγὸς dedit. Si sic scripsit Euripides, mirarer, quod maluisset ἔς' ἐπαρωγὸς scribere, quam ἐς ἐν ἀρωγός, quod et elegantius foret, et magis accommodatum consuetudini tragicorum, simplicem huius nominis formam compositae praeferentium. Wakefieldii ineptas coniecturas, ποῖ μ' ἥσω; vel ποῖ πόδ' ἥσω; vel commemorasse nimius honor est. Acuta Musgrauii emendatio ποῖ δ' ἥσω πόδα; merito etiam Britanno censori placuit. Sed non necesse est, vt propterea πῇ, quod sequi-

sequitur, delendum censeamus. Nam ipsa horum vocabulorum similitudine factum est, vt alterum excideret. Πῇ τις θεῶν ἐπαρωγὸς non minus recte dicit Hecuba, quam τίς θεῶν dicere poterat. Vtrumque modum coniunxit Aeschylus in Prometheo v. 545.

φέρ', ὅπως ἄχαρις
χάρις, ὦ φίλος· εἰπέ, πῇ τις ἀλκά.
τίς ἐφαμερίων ἄρηξις;

Quare veram lectionem puto, ποῖ δ' ἥσω πόδα; πῇ τις θεῶν ἢ δαίμων ἐπαρωγός; Simillimus locus est in Electra Euripidis v. 1233.

ἀλλ' οἵδε δόμων ὕπερ ἀκροτάτων
φαίνεσί τινες δαίμονες, ἢ θεῶν
τῶν οὐρανίων.

V. 162. Correximus nulla mutata littera versuum descriptionem, qui omnes anapaestici sunt, praeter vltimum, cui respondet v. 208. Is iambicus dimeter est. Brunkii et Porsoni metrorum descriptio numeris caret. Caeterum ξήματα pro πήματα scribere iubet Wakefieldius, dextrumque oculum saliturum putat hanc emendationem conspicientibus. Quasi vero πήματα non sit idem, immo multo magis poeticum. Britannus censor, idem nobiscum sentiens, ad confirmandam veterem lectionem apte attulit Hecubae v. 653. Aesch. Agam. 873. 647.

V. 166. Recte Porsonus τλάμων e MSS. reposuit pro τλᾶμον, quod male retinuit Brunkius. In cod. Viteb. ω supra scriptum, ac τλάμων etiam duo Moscouienses habent; quorum A. πὲς addit huic versui. Recentiores enim edito-

editores retinuerunt ingratam auribus versuum descriptionem:

ὦ τλάμων, ἄγησαί μοι,
πές, ἄγησαι τᾷ γραίᾳ.

Eam igitur sustulimus scribendo γηραιᾷ. Harum formarum permutatione nihil frequentius.

V. 168. Recte hic versus in cod. Viteb. monometer est. Brunkio Porsonoque hic et duo sequentes, secus atque interpunctiones postulabant, dimetri sunt, tum qui sequitur, paroemiacus, quem monometer excipit,

οἴαν, οἴαν.

V. 177. Wakefieldius barbarum putat ἐκπτήσασιν τινὸς οἴκων. Inde aut ἐξέπτασας a πτάω, aut ἐξεπτόησας scribendum esse. Refutauit eum censor Britannus, allato Homeri loco Iliad. XIV. 40. et Eustathio ad eum p. 966. l. 16. scholiastis Veneto et Lipsiensi apud Valkenarium in diss. de schol. Hom. p. 130. et apud Ernestium ad Hom. tum Hesychio in πτῆξεν, et Ruhnkenio ad eum in Auctar. ad Il. 1072. Porsonoque ad Orestis v. 288. Quod si praeter activam verbi significationem etiam genitiuus οἴκων offendit Wakefieldium, similia congessit Abreschius ad Aeschylum p. 64. seq. 360. 592. seq. Cod. Viteb. ἐξέπαξας.

V. 178. Libri ὦ μοι τέκνον. In Moscouiensi A. adnotatum γρ. ἰὼ μοι. Malui μοὶ iterare, vt omnes syllabae longae essent, quemadmodum in antistrophico. Versus dochmiacus est.

V. 184.

V. 184. Legebatur ὦ τέκνον, τέκνον. Delendum fuit ὦ. Sic supra μᾶτερ, μᾶτερ. Ne quis autem putet, mutandum fuisse in ἰώ, quod inter versus epiphonema collocatum fuerit, meminerit, haec epiphonemata in antistrophicis carminibus versuum loco esse atque idcirco iterari. Atqui ante Polyxenae verba, quae praecesserunt, locum non habet ἰώ. Itaque hic quoque omittendum fuit.

V. 185. Legebatur τί τόδ' ἀγγέλλεις. Cod. Moscov. B. ἀγγελεῖς, vnde ἀπαγγελεῖς scripsimus. Saepe enim in verbis aut omissa male aut addita praepositio reperitur, cuius rei exempla vbique exstant. Quae in solis Aristophanis Nubibus occurrunt, vide in nostrae editionis indice ad eam fabulam v. *praepositio*. Vide etiam infra ad v. 1056. et Brunk. ad Sophocl. Electr. v. 1264. Futurum hic proprie intelligendum, non vt τί λέξεις infra v. 698. et alibi. Ἀγγέλλειν et ἀγγελεῖν frequentissime permutantur. Praepositionem autem omisere, qui versum pro anapaestico habuerunt, qui dochmiacus est, eodem syllabarum pondere, quo v. 183. strophicus.

V. 186. Antiquiores edd. κοινὰ γνώμα. Nominatiuum etiam MS. Viteb. exhibet, in quo mox est Πλειάδα γέννα, quam lectionem etiam scholiastes commemorat.

V. 190. In edd. vnum versum constituunt haec verba: μάνυσόν μοι, μάνυσόν μοι, μᾶτερ. Codex Vitebergensis, posterius μοι omittens, emendationem numerorum monstrauit.

V. 194.

V. 194. MS. Viteb. ψήφοις, quod non praetulerim vulgato. Vide v. 217. et 257.

V. 196. Vulgo sine interpunctione legitur ὦ δυςάνȣ μᾶτερ βιοτᾶς, quod sane non caret reprehensione. Malus tamen fideiussor Wakefieldius ὦ δυςάνα μᾶτερ βιοτᾶς corrigendum esse spondet. Nam quomodo hanc formam tuebitur, δυςήνη, quod dici debebat δύςηνος? Hoc Britannus etiam censor copiose demonstrauit. Nihil mutandum, modo μᾶτερ seiungatur, vt illa cohaereant ὦ δυςάνȣ βιοτᾶς. Ita iam scho liastes. Vide v. 423.

V. 197. Libri omnes, alii alia versuum descriptione, οἵαν, οἵαν αὖ σοι λώβαν ἐχθίσταν ἀῤῥήταν τ' ὦρσέ τις δαίμων. Porsonus nihil nisi litteram paragogicam verbo adiecit. Τίς, natúm ex adnotatione, minime elegans est. Λώβαν autem iterandum fuit. Sic versus bene et commode decurrunt.

V. 201. Porsonus ex quatuor MSS. scripsit γήρᾳ δειλαία δειλαίῳ συνδȣλεύσω. Non gratum ad aures accidit ictu acutum ω in duobus continuis verbis. Quare cum MS. Viteb. retinui vulgatum in edd. ordinem γήρᾳ δειλαίῳ δειλαία. Sic supra v. 153. δειλαία δειλαίȣ γήρως.

V. 206. Brunkius σᾶς ἄπο λαιμοτόμητόν τ' Ἀΐδᾳ edidit ex membranis, in quibus est σᾶς ἀπολαιμότομητόν τ' Ἀΐδᾳ. MS. Viteb. cum vulgatis σᾶς ἀπολαιμότομόν τ' Ἀΐδᾳ. Breuiorem formam metri caussa praetulimus. Membranarum lectionem si quis praeferendam censeat, is articulum ante τάλαινα delere debebit, vt vltimus versus huius systematis iambicus dimeter

ter brachycatalecticus sit, qui autem hunc praecedit, dactylicus pentameter acatalecticus. Nec strophici versus istam diuisionem repudiant. Sed maluimus omnes praeter vltimum anapaesticos facere, quam dactylicum admittere, eumque noui exempli. Nam quos equidem obseruaui dactylicos pentametros, catalectici sunt aut in monosyllabum aut in bisyllabum.

V. 207. In libris,

ἔνθα νεκρῶν μέτα
ἀ τάλαινα κείσομαι.

In apostrophi vsu vbique peccant MSS.

V. 209. Vulgo καὶ σὲ μέν, μᾶτερ δύσανε, omisso βίᾳ. Brunkius ὦ addidit, non indicans, vnde. Recte factum. Bene etiam Porsonus e trium MSS. lectione δυσάνε βίᾳ legendum vidit δύσανε βίᾳ. Sed etiam inutile istud καὶ delere debebat.

V. 213. Porsonus cum Brunkio vulgatam lectionem ξυντυχίαι κρείσσων ἐκύρησεν retinuit. Musgrauius paroemiacum sic restituendum putauit,

ξυντυχίᾳ κρείσσον' ἔκυρσεν,

qui tantus honos cur illegitimo systemati habeatur, nescire se dicit Porsonus. Ex iis, quae supra de metris huius loci diximus, clarum esse arbitror, minime illegitima haec esse systemata. In fine vero vniuersi carminis omnium minime acatalecticus versus ferri potest. Itaque quum, teste Musgrauio, in libris MSS. non solum ἐκύρησεν, ἐκήρυσσεν, ἐκύρωσεν, verum

verum etiam ἔκυρσεν reperiatur, non dubitanimus κύρσει scribere, quod, quum vltima littera in ν, cum qua saepe permutari solet, abisset, addito augmento primum in ἔκυρσεν, deinde hoc in alias formas mutatum est. Similiter infra v. 1167. δύναιντ' ἂν in δύναινται, et apud Platonem in Cratylo vol. III. p. 237. ed. Bipont. bis πέφυκεν male in ἐπεφύκει mutatum reperitur, de quo loco dicetur in libro de emendanda ratione Graecae grammaticae.

V. 238. 239. Libri omnes ὀμμάτων τ' ἄπο φόνῳ ϛαλαγμοὶ σὴν κατέϛαζον γένυν. Nec varietatis quidquam reperitur, nisi quod in cod. Viteb. est ἄποι, ita quidem vt diphthongus supra π scripta sit. Musgrauius δόλῳ coniecit, sensu elegante, sed et mutatio audacior est, et formula insolentior δόλῳ ϛαλαγμοί. Porsono φόβῳ legendum videtur, quod non minus indigebat similium locorum comparatione. Nihil in sermonis quidem ratione reprehendi posset, si correxisset, ὀμμάτων θ' ὑπὸ φόβῳ ϛαλαγμοὶ σὴν κατέϛαζον γένυν. Sed ipsa sententia hoc loco minime apta est. Quantumuis enim Vlixis responsio metuisse eum indicet, nondum tamen Hecuba metum eius commemorare poterat. Nam quid erat, quod tantopere metuisse diceret Vlixem, qui foedo habitu deformatus latebat Troianos? Tum demum ille metuere coepit, quum esset agnitus. Atqui id postea factum narrat Hecuba:

ἔγνω δέ σ', Ἑλένη καὶ μόνη κατεῖπ' ἐμοί.

Quo minus φόνῳ sollicitari velim, quod quidem verbum pessime interpretatus est scholiastes.

stes. Indicare videtur Hecuba cruorem, quo Vlixes foedatus Troiam venerat. Id, vt omnem fabulam, hausit ex Homeri Odyssea, IV. 244.

αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας,
σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλὼν, οἰκῆϊ ἐοικώς,
ἀνδρῶν δυσμενέων κατέδυ πόλιν εὐρυάγυιαν.

Vide etiam Lycophronem v. 779. seqq. Sic etiam Iacobsius in Animadu. in Eurip. pag. 4. locum intellexit. Sed non debebat vulgatam lectionem seruandam censere, quae, si ista, quam diximus, horum verborum sententia est, stare nullo pacto potest. Quippe sanguinis guttae ex capite, non ex oculis, in barbam destillare dicendae erant. Quamobrem locum ita restituendum putauimus, vt ὑπὸ scriberemus, quod vbique cum ἀπὸ permutatum inuenitur. Quod autem in libris τ', non θ' praecedit, nemo non videt, aut mutata praepositione scripturam coniunctionis mutatam, aut adspiratione ante apostrophum neglecta, cuiusmodi exemplorum ingens multitudo in libris MSS. et antiquis edd. exstat, praepositionem corruptam fuisse. Nostra igitur in lectione nihil vsquam videtur esse, quod aut non aptum huic loco, aut non elegans sit. Ὀμμάτων ϛαλαγμοί, dicit Hecuba, ὑπὸ φόνȣ, i. e. μετὰ φόνȣ, σὴν κατέσταζον γένυν; *barba tua lacrimis et cruore madebat.* Vsum hunc praepositionis ὑπὸ exemplis illustrauit Abreschius in Diluc. Thuc. p. 697. et in Adnot. ad N. T. p. 576. Adde Aristoph. Thesm. 1030. Acharn. 970. Lacrimabatur Vlixes, non quod metueret, sed excitandae misericordiae caussa, et vt dictis fidem adderet, propter quam caussam etiam cruore foedatus venerat.

Eiusdem in fabulae narratione, prorsus vt hic, Vlixes describitur in Rheso v. 710. seqq.

ἔβα καὶ πάρος κατὰ πτόλιν
ὕπαφρον ὄμμα ἔχων, ῥακοδύτῃ στολῇ
πυκασθείς,

et mox,

ψαφαρόχρων κάρα πολυπίνες τ' ἔχων.

Denique vero etiam de Vlixis responsione monendum est, ne quis eam non satis aptam esse putet ad ea, quae Hecuba dixerat. Etenim Hecuba de fictis lacrimis loquuta erat; Vlixis autem responsio ad minime fictum dolorem spectat. At enimuero Vlixis responsio non ad ea, quae vltima sunt in verbis Hecubae, sed ad vniuersam rem, quam ipsi ea in memoriam revocat, pertinet. Meminisse illa eum iubet, quod aliquando Troiam explorator venerit. *Quidni*, hic respondet, *meminerim: quippe haec res me vehementer sollicitum habebat.* Nam propter hoc ipsum, quod speculatoris personam sustinebat, metuerat, ne agnosceretur.

V. 242. Quae Donatus ad Andriam II. 5, 18. ex Ennio affert,

memini me tum fieri
pauidum,

adeo huic Hecubae versui similia sunt, vt facile inde videri possint expressa esse. Sed vereor ne recte iam H. Stephanus in fragmentis poetarum Latinorum p. 136. verba ista corrupta censuerit. Nam eadem apud eumdem Donatum

natum ad Adelphos I. 2, 26. et ad Phorm. I. 2, 24. commemorantur, sed vtrobique *tum* omissum est, tum autem in priore loco *prauum*, in altero *pauum* legitur, quam lectionem veram esse docet Charisius lib. I. p. 75. ex Ennio haec afferens, *memini me fieri pauum*, in quibus *pauum* dici pauonem ostendit. Atque ad hunc Ennii locum alludunt alii multi scriptores. Vide Columnam ad I. Annal. Ennii p. 6. seq. et Merulam p. 75. seq. et p. 66-70. Male autem Ennii locum ad I. Annal. a viris doctis relatum esse, ex Donato ad Adelphos l. c. patet, vbi is Ennii verba propterea affert, vt *fieri* primam longam habere ostendat. Quamobrem ego quidem ex Epicharmo sumpta arbitror, in quo idem illud de Pythagoraeo pauone somnium Ennius videtur narrasse.

V. 244. Lectionem librorum, ὥστ' ἐνθαυεῖν γε σοῖς πέπλοισι χεῖρ' ἐμήν, vitiosam esse Brunkius pro comperto habet. Hinc corrigendum putat ἐντακῆναι, quod significet ἐμφῦναι, ἐμπεπηγέναι. Id enim hoc loco requiri. Non vidi quidquam infelicius. Genua Hecubae amplexum se esse diceret Vlixes, ita vt manus iis inhaereret firmiter. Atqui hoc sponte quiuis intelligit, si genua amplecteretur mulieris Vlixes, serio amplectenda fuisse. Longe fortius quid inesse verbis Vlixei debet, qui augere velit ea, quae Hecuba dixerat. Ac nescio hercle, quid tantopere in elegantissima librorum lectione Brunkio displicuerit, vt eam cum nutricularum Gallicarum quodam dicto comparauerit. Scilicet non illustratam queritur a

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

viris doctis. Quasi vero explicatione indigeant ea, quae etiam vt sine exemplo dicantur, omnibus perspicua sunt. Nam quis dubitabit, ἐνθήσκειν πέπλοις manum dici, quae in veste, quam prehendit, obrigeat? Θνήσκειν enim ea dicuntur, quae marcescunt, vt apud Bionem I. 11.

ἠμὶ τὸ ῥόδον φεύγει τῶ χείλεος· ἀμφὶ δὲ τήνω
θνάσκει ἠμὶ τὸ φίλαμα, τὸ μήποτε Κύπρις ἀφήσει.

et v. 31.

κάτθανε δ' ἀ μορφὰ σὺν Ἀδώνιδι Κύπριδος.

Moschus III. 33.

μάλων ἐκ ἔρρευσε καλὸν γλάγος, ἐ μέλι σίμβλων·
κάτθανε δ' ἐν καρῷ λυπεύμενον.

V. 245-248. Merito magnas habere gratias oportet praestantissimo codici Vitebergensi, qui verum in hoc loco versuum ordinem conseruauerit. Etenim in caeteris MSS. et edd. omnibus sic leguntur:

ΕΚ. ἔσωσα δῆτά σ', ἐξέπεμψά τε χθονός;
ΟΔ. ὥστ' εἰσορᾶν με φέγγος ἡλίου τόδε.
ΕΚ. τί δῆτ' ἔλεξας δεῦλος ὢν ἐμὸς τότε.
ΟΔ. πολλῶν λόγων εὑρήμαθ' ὥστε μὴ θανεῖν.

Quem ordinem versuum miror etiam a Porsono seruatum esse, cui non ignota fuit codicis Vitebergensis lectio. Quid enim? Num ea, quae summa sunt et praecipua in hoc loco, quorumque caussa caetera praefatur Hecuba, sic in medio interiecta sint, vbi nullam plane vim, nullum pondus habent? Aut quid attinebat,

bat, postquam semel seruatum se ab Hecuba fuisse Vlixes fassus erat, interrogare, quid dixisset, vt seruaretur? Immo hoc prius erat interrogandum, vt, quum Vlixes respondisset, se ne occideretur orasse, tum demum illud adderetur, preces non fuisse vanas, quo magis, parem Vlixes vt nunc gratiam referret, impelli posset. Sed ne diutius morer in re certissima, illud vnum addam, vel ex particula δῆτα, quae manifesto his, ὥστε μὴ θανεῖν, respondet, apparere, etiam absque vlla librorum auctoritate vulgatum versuum ordinem mutandum fuisse.

V. 248. In cod. Viteb. et Mosc. B. atque antiquis edd. ὥστ' εἰσοῤῥᾶν Φέγγος, syllaba deficiente. Vulgo deinde νῦν addi coepit. Pro eo Brunkius ex membranis δὴ edidit. Editio Hecubae, Orestis, et Phoenissarum, quae Monachii MDCXIII. prodiit, et ferme ex Aldina expressa est, vt alibi quasdam egregias lectiones habet, ita hic με addit. Aldina ὥστ' εἰσοῤῥᾶν Φέγγος habet. Porsonus γε e quinque codd. exhibuit. Sic supra v. 244. et in Oreste vers. 1122. atque alibi. Ego dum dubitabam, vtrum μὲ an γὲ praeferrem, magis me non nolente, quam volente, μὲ expressum est.

V. 253. MS. Viteb. μὴ δὲ, vt alibi variatur. Idem v. 257. ὤρισας.

V. 258. Brunkius χρεών edidit, ex Scaligeri sententia, sic etiam in Hero. F. 828. scribentis. Χρῆν, quod libri omnes habent, recte praefert Porsonus, formam infinitiui firmatam ab Eustathio ad Odyss. X. p. 1647. l. 36. et Thoma M. in hoc verbo. Iidem habent cum maiore parte

parte MSS. in quibus Vitebergensis est, ἀνθρωποσφαγεῖν. Alii ἀνθρωποκτονεῖν.

V. 272. Vulgo τῆσδε γεραιᾶς: quod est etiam in codd. Ac Mosc. D. γηραιᾶς. Τῆσδε γραίας Brunkius correxit, recepitque Porsonus, qui quidem e Moscov. C. mauult τῆς γεραιᾶς. Elegantiorem censuimus Brunkii lectionem. Beckius ex cod. Mosc. A. παρειάδος affert. Nescio an Vitebergensem codicem, qui hoc versu finitur, nominare voluerit. In eo certe sic scriptum.

V. 277. Hinc sumpta videntur illa Ennii, quae non indicato fabulae nomine habet Festus in *tam*, i. e. *tamen:*

. *illa me*
tam potis pacis potire.

Videtur hoc dixisse: si caetera mala me affligunt, Polyxena tamen solatium mihi affert. Si tamen vera est emendatio nostra. Nam apud Festum sine sensu legitur *illae meae* et *potiri*. Plautus in Amphitr. I. 1, 26.

eum nunc potiuit pater seruitutis.

V. 279. Queritur Wakefieldius non commemoratam a Porsono coniecturam πόσις, quam in Silua critica vol. IV. p. 74. proposuerat. Si sic scribere potuit Euripides, non sequitur continuo, eum sic scripsisse. Illud prorsus more suo fecit, quod ne v. 793. et Troad. v. 1186. contra suam emendationem proferrentur, in his locis suae Graecitatis vocabulum ἄποσις, quod ridicule rarioribus adnumerat, reponi iussit. Docte refutatus est a Britanno censore, qui in versibus apud Diog. Laert. VI. 38. vol. I. p. 332.

p. 532. a Wakefieldio allatis, πλανῆς ex Aeliani V. H. III. 29. pro ἄπολις, quod Diogenes et Iulianus Orat. VI. p. 195. B. et in Ep. ad Themist. p. 255. habent, et δυσέμων ex eodem Aeliani loco pro πλανήτης restituendum putat. Sane verba, quae expulit, ex interpretatione videntur orta.

V. 280. Placet Wakefieldio scriptura, quae apud Stobaeum pag. 561. exstat, τὸν κρατοῦντα, quod languidius videtur censori Britanno.

V. 291. Ennius apud Gellium XI. 4.

haec tu etsi peruorse dices, facile Achivos flexeris.
nam opulenti quum loquuntur pariter atque ignobiles;
eadem dicta eademque oratio aequa non aeque valet.

Brunkii membranae habent, κἂν κακῶς τὸ σὸν λέγῃ, πείθει. Λέγῃ consensu codd. et edd. Euripidis et Gellii. Wassius in Miscell. Obs. II. p. 93. corrigit λέγῃς, probatum Musgranio, et receptum a Brunkio et Porsono, qui primum sic tacite correxisse Muretum obseruat in Opp. T. III. p. 593. Neque aliter affert Valkenarius locum in Diatriba p. 261. Wakefieldius tamen λέγῃ praefert, assentiente censore Ienensi, qui ex Ennio commemorat,

olli respondet suauis sonus Egeriai,

et ex Phaedro II. 5, 23.

tum sic iocata est tanti maiestas ducis,

Talia quidem multa congeri possunt. At hic non

non agitur de eo, vt demonstretur, λέγειν dici etiam de rebus, de quibus proprie dici non potest, sed de eo, vtrum hic id apte fieri possit, necne. Atqui non potest. Nam eiusmodi circumscriptiones aut nihil nisi rem ipsam indicant, vt *sonus Egeriae*, quod est *Egeria*, aut aliquid amplius addunt, vt *maiestas ducis*, quod est *dux venerabilis*. Si nihil nisi nudam rem significant, quidquid de re ipsa dici potest, dici poterit etiam de verbis iis, quibus ea res circumscribitur, vt *respondet Egeria*, *respondet sonus Egeriae*; sin autem circumscriptione aliquid amplius ad rem aliquam accessit, id tantum de ea re dici potest, quod aut conueniat isti additamento, aut ei non repugnet, vt si dicas, *maiestas ducis imperauit*, quod est, *dux imperauit pro maiestate sua*, aut *iocata est maiestas ducis*, quod est, *dux iocatus est*, *quantum concedebat eius maiestas*, siue, *remisit aliquid de maiestate sua*, *vt iocari liceret*. Repugnantia tum demum addi possunt, quum risus captatur, vt, *virtus bellatoris fugit*. Nunc τὸ σὸν ἀξίωμα κακῶς λέγει, inepte dici patet, nisi vbi quis risum quaerat. Non enim diceretur, *tu peruerse dicis*, sed *peruerse dicis*, *quatenus magnam auctoritatem habes*. Illud vero recte se habet, πείσει τὸ σὸν ἀξίωμα. Nam auctoritate oratoris permouentur auditores.

Maior dubitatio est de verbo πείσει, pro quo apud Gellium est νικᾷ et νικᾷς, illustratum a Valkenario l. l. Adde locum, qui maxime hic memorandus est, ex Troad. v. 716.

νικᾷ δ' Ὀδυσσεὺς ἐν Παναίλησιν λέγων.

Si

Si πείσει aliquam habet interpretamenti speciem, at νικᾷ memoriter fortasse locum afferenti Gellio deberi poterit. Ac νικᾷ vt paullo magis blandiatur Vlixi, at πείσει accommodatius est ad animi commotionem, qua Hecuba nunc perturbatur. Nam tranquilli animi est dicere, *tua auctoritas vincere solet*; commoti contra, et vnice in eam rem, quam optat, intenti dicere, *tua auctoritas vincet*. Quare πείσει, codd. Euripidis et editionum omnium lectionem, seruaui.

V. 294. Libri ἐκ ἔσιν ετω. Porsonus e Gregorio Cor. p. 26. τὶς pro ἐκ exhibuit, quod Koenius, similium locorum comparatione adductus, pro genuino habet. Equidem vereor, ne Gregorius, qui etiam ἔσιν omittat, locum memoriter attulerit, vt non videatur idoneus auctor numerari posse.

V. 310. Brunkius ἄπεστι edidit e membranis, cuius interpretationem esse ἔλωλε, quod vulgo legitur, monet. Non obsequutus est Porsonus.

V. 315-318. Wakefieldius interpungendum putat sic, vt haec, καθ' ἡμέραν κεἰ σμικρὰ ἔχοιμι, coniungantur, similibus quibusdam locis allatis, quorum vnus aptus est in fragm. XXII. Telephi. Inepte. Mox pro τὸν ἐμὸν scribendum putat aut τιμᾶν, aut γόνιμον, siquidem hoc idem significare possit, quod γενναῖον. Non enim ἀξιῶσθαι sine substantiuo pro κοσμεῖσθαι poni. Quidni? Euripides in Heraclidis v. 917.

ὦ Ὑμέναιε, δισσὰς
παῖδας Διὸς ἠξίωσας.

et

et Sophocles in Aiace v. 1114.

ἔ γὰρ ἠξίου τὸς μηδένας.

Euripides in Oreste v. 1167.

Ἀγαμέμνονός τοι παῖς πέφυχ', ὃς Ἑλλάδος ἦρξ' ἀξιωθείς.

Et v. 1210.

καλοῖσιν ὑμεναίοισιν ἀξιωμένη.

Eosdem locos etiam censor Britannus attulit, qui praeterea obseruat, ex Eustathio, qui ad Iliad. VII. p. 666. 44. et ad X. p. 801. 52. hunc locum spectans verbum στεφανῶσθαι adhibet, erui potuisse ἀξιώμενον στεφάνων ὁρᾶσθαι, nisi additum vtrobique τὸν αὐτῆ vel τὸν ἑαυτῆ indicaret, eum habuisse verba τὸν ἐμόν.

V. 326. Pro vulgato δὴ recte Porsonus ex Aldina dedit δέ, quod habent etiam codd. quatuor Moscov.

V. 330. 331. Πεφυκέναι, quod membranae Brunkii, ed. Ald. aliique scripti et impressi libri, et Eumathius VIII. p. 301. habent, probari posse putabat Brunkius, si deinde τολμᾷ, quod in omnibus vbique libris est, in τολμᾷν mutaretur. Retinuit tamen alteram lectionem πέφυκ' ἀεί, et τολμᾷ, quam etiam Stobaeus p. 237. habet, propter minus impeditam structuram. Porsonus et πεφυκέναι et τολμᾶν recepit, probante censore Britanno. Similis constructio in Oreste est v. 480.

ἔα. τὸ μέλλον ὡς κακὸν τὸ μὴ εἰδέναι.

Nihilo tamen minus Brunkium sequutus sum. Nam

Nam πεφυκέναι nimiam speciem corruptionis prae se ferre videtur, praesertim quum τολμᾷ in iisdem libris omnibus sit, qui πεφυκέναι habent. Ortum illud inde est, quod, vt solet, pro πέφυκ᾽ erat πέφυκεν scriptum. Sic in v. 258. plures libri Thomae M. ἐπήγαγεν habent. Ac firmatur nostra lectio comparatione fragmenti XV. Antiopae:

τὸ δ᾽ἕλον ἐχ᾽ ὁρᾷς ὅσον κακόν;

V. 333. Brunkius, quod tragici ferme aoristum primum praeferant, ῥιφθέντες mauult. Bona obseruatio, si non habeatur pro regula. Ῥιφεὶς etiam exstat in Melanippae fragment. XXVIII.

τὸν ἀμφὶ βᾶν ῥιφέντα Βοιωτὸν καλεῖ,

quamquam hic quoque ῥιφθέντα legi posset. Sed sic ἐζύγην minime rarum est, et κρυβεὶς exstat in Sophoclis Aiace v. 1145.

V. 341. Ita de hoc versu Porsonus: τἄμπαλιν *Ald.* ἔμπαλιν *MSS. multi, nullo ad sensum discrimine, ad numeros maximo. Quid velim, melius fortasse intelligetur, si dicam, paucissimos apud tragicos versus occurrere similes Ionis initio,*

Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις ἠρανόν.

Miror hercle doctum hominem ita loqui non dubitare. Scilicet haec sunt ista arcana, quae qui possident, beati praedicantur quum ab aliis, tum ab se ipsis maxime. Stupent talia hebetes, et diuinis quibusdam dotibus beneficio naturae instructum putant, qui tam septuosas dictio-

dictiones edere potest. Indignum vero est, doctos homines, quae ipsi aut scire se simulant, aut dissimulant certe se nescire, ea postulare vt alii intelligant. Nimirum vere quidem monuit Porsonus, ἔμπαλιν numeros habere elegantiores, sed num, quae ita esset, tam difficile erat eruere, si vellet operam dare? Nam consulto se caussam, vt inuentu facillimam, praeteriisse, non persuaserit nobis, qui eum in rebus omnibus, quae ad numerorum explicationem pertinent, idoneis rationibus destitui videamus. Igitur quod in hoc versu, si τἔμπαλιν legatur, reprehendit, non potest aliud esse, quam spondeus in quinta sede. Is per se non est obnoxius reprehensioni, quum non solum vbique occurrat, sed maxime etiam proprius sit tragicis trimetris. Num igitur in eo peccatum est, quod spondeus est in isto pede, quum in caeteris, praeter primum, puri iambi sint, quae metri ratio etiam in versu isto ex Ione est? Non magis profecto. Nam huiusmodi plurimi versus occurrunt, quos non reprehendit, vt paullo ante:

φθογγὰς ἰεῖσα, μὴ τερηδῆναι βίᾳ.

Itaque nihil superest, quam vt reprehendatur vocabulum longa syllaba in medio quinto pede finitum, sequente verbo trisyllabo. Atque hoc sane merito vituperatur, et verissimum est, quod obseruauit Porsonus, perpaucos in tragicis Graecis versus occurrere, qui hoc vitio laborent. Aeschyli Suppl. v. 213. talis est:

τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ προσώπων σωφρόνων.

In

In Sophocle hos obseruaui: in Oed. Col. 664.

θαρσεῖν μὲν ἔγωγε, κἀνευ τῆς ἐμῆς.

v. 1022.

εἰ δ' ἐγκρατεῖς φεύγουσιν, οὐδὲν δεῖ πονεῖν.

Reliqui emendatione indigent, vt in eadem fabula v. 1038.

χωρῶν ἀπείλει νῦν· σὺ δ' ἡμῖν, Οἰδίπους,
ἔκηλος αὐτὸς μίμνε.

Etiam absque metri indicio hic encliticum ἡμῖν requiritur. v. 1389.

ταισυτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος.

Poeticus sermo τὸ Ταρτάρου ἔρεβος scribi postulat. In Oedipo Rege v. 1113.

γήρᾳ ξυνάδει, τῷδέ τ' ἀνδρὶ ξύμμετρος.

Scribe σύμμετρος. In Trach. 562. turpem versum dedit Brunkius,

ὃς κἀμέ, τῶν στόλων πατρῴων ἡνίκα.

Scribe e duobus codd.

ὃς κἀμέ, τὸν πατρῶον ἡνίκα στόλον
ξὺν Ἡρακλεῖ τὸ πρῶτον εὔνις ἔσπομην.

Εὔνις iunctum accusatiuo est, omisso κατά.

Caussa autem, quare ista vocabulorum diuisio displicere debet, haec est. Quoniam in fine cuiusque versus, vbi, exhaustis iam propemodum pulmonibus, lenior pronunciationis decursus desideratur, asperiora omnia, quo

difficilius pronunciantur, eo magis etiam aures laedunt: propterea sedulo euitatur illa vocabulorum conditio, quae vltimum versus ordinem longiore mora a praecedente disiungit, eaque re decursum numerorum impedit ac retardat. Constat enim versus trimeter iambicus isto tribus ordinibus:

κρύπτουσα χεῖρα | καὶ πρόσωπον | ἔμπαλιν.

Quorum ordinum medius si finitur fine vocabuli alicuius, quadam pronunciationis pausa, quae in cuiusque vocabuli fine est, ab sequente ordine disiungitur. Quae pausa si ad eam moram accedit, quae in longa syllaba est, diutius sane durat, quam vt satis cito pro vocis et aurium commoditate vltimus ordo adnecti possit. Id quum animaduerterent poetae, caverunt, ne secundi ordinis finem simul et longa syllaba et fine vocabuli grauarent. Contra non adspernati sunt longam syllabam isto loco, si ea aut in medio vocabulo esset, vt paullo ante,

φθογγὰς ἰεῖσα, μὴ στερηθῆναι βίᾳ,

quia sic numerorum decursui nulla mora obiicitur; aut si in monosyllabo esset vocabulo, vt v. 2.

Πολύδωρος Ἐκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως.

Hoc quidem mirum fortasse videbitur quare sine offensione sit, quum eadem syllaba et longa sit, et finem vocabuli contineat. Sed accuratius rem consideranti non erit obscurum, cur monosyllabi vocabuli longe alia in ista quidem sede ratio sit. Nam primum, quod

in

in praecedente, i. e. vltima quarti pedis syllaba verbum finitur, id quidem propterea commode fit, quia haec syllaba, vt arsis, ictu gravatur, ob eamque caussam ita iam per se producitur, vt paussa illa, quae finiendo vocabulo fit, in eumdem locum aptissime incidat. Quod non est in sequente, i. e. prima quinti pedis syllaba, quae quia ictu destituitur, atque vnice continuando numero inseruit, omnem non necessariam productionem repudiat. Nunc si in quarti pedis vltima syllaba finitum est vocabulum, eamque syllabam sequitur vocabulum monosyllabum, id vocabulum omni ictu destitutum erit, ob eamque ipsam rem omni carebit numero, nisi cum alio proximo vocabulo arctissime coniungatur. Vtri autem iungamus, praecedenti, an sequenti vocabulo? Si cum praecedente ita coniungitur, vt haec duo vocabula tamquam vnum pronuncientur, eadem erit numerorum impedita decursio, quae in principio Ionis,

Πολύδωρος Ἐκάβης | παῖς γεγὼς τῆς | Κισσέως.

Iungendum ergo sequenti est, ita,

Πολύδωρος Ἐκάβης | παῖς γεγὼς | τῆς Κισσέως.

Atque hoc modo vltima duo verba, τῆς Κισσέως, vnius quadrisyllabi instar erunt. Hanc rationem eo confirmari patet, quod in istiusmodi versibus vocabulum monosyllabum ipsa natura sua et significatione solet ad sequens verbum pertinere. Vt v. 383.

ὑμᾶς, Ὀδυσσεῦ, τήνδε μὲν μὴ κτείνετε.

v. 396.

ὁμοῖα, κισσὸς δρυὸς ὅπως, τῆσδ' ἔξομαι.

v. 984.

σῶσόν νυν αὐτὸν, μήδ' ἔρα τῶν πλησίον.

v. 1222.

τοιοῦτον ὄντα· δεσπότας δ' ἐ λοιδορῶ.

Eiusmodi pleraque omnia apud tragicos huiusce rei exempla sunt. Nam si vocabulum istud monosyllabum natura sua ad praecedentia pertinet, itidem impeditus est numerorum decursus, vt in initio Ionis. Sic apud Aristophanem in Pluto v. 29.

κακῶς ἔπραττον καὶ πένης ἦν. οἶδά τοι.

et v. 246.

ἐγὼ δὲ τότε τῇ τρόπῳ πως ἐμ' ἀεί.

Eadem prorsus ratio est in fine trochaicorum tetrametrorum apud tragicos. Nam comici poetae et in his versibus et in iambicis trimetris hanc subtilitatem et elegantiam numerorum negligunt. Caeterum tota haec obseruatio non habet aliam vim, quam ne, duabus propositis lectionibus, eligamus eam, quae ad numeros deterior est, non vt expellamus propter durriorem numerum lectiones aliis de caussis probas. Itaque hic quidem ἔμπαλιν recte Porsonus pro τὔμπαλιν edidit.

V. 353. Non est silentio praetereunda Canteri quamquam non necessaria, elegans tamen coniectura ἀπόβλεπτος μέγα.

V. 354.

V. 354. Non dubitauimus θεοῖσι cum Kingio edere, quod habent etiam duo MSS. Mosc. Vulgo θεῇσι. Γυνὴ εἰκυῖα θεῇσιν ex Homero notum: sed hoc pulcram significat, quod ab hoc loco alienum est, vbi de beata non modo dearum, sed deorum quoque vita cogitat Polyxena. Id dicitur θεῶν βίος. Fragm. Archelai IX.

τυραννὶς εἶναι θεῶν βίος νομίζεται.

V. 360. Recte Brunkius et Porsonus προσθείς, quod Aldus et tres codd. Mosc. confirmant, aliorum lectioni προθεὶς praetulere. Sic in Herc. f. v. 710.

ἐπεὶ δ' ἀνάγκην προστιθεῖς ἡμῖν θανεῖν.

Meleagri fragm. XXII. 2.

τὸ φῶς δ' ἀνάγκην προστίθησι σωφρονεῖν.

V. 367. Ἄγ' ἴν', Ὀδυσσεῦ, bene Porsonus ex Thoma Mag. v. διαχρῶμαι pro ἄγ' ἴν' μ' et ἄγε μ', Ὀδυσσεῦ, restituit.

V. 379. Edidi ὄνομα cum Kingio, MSS. Harl. et duobus Moscov. ac Porsono. Brunkius τἄνομα ex Ald. et membr. dedit. Apud Stobaeum serm. LXXXVI. Grotius τ' ὄνομα edidit: Regius codex ἔνομα. Fateor vero non placere articuli omissionem, quae vt non inusitata Aeschylo sit, dubito tamen an in Euripide non sit ferenda. Sophoclis versus in Philocteta 446.

ἔμελλ'. ἐπεὶ ἐδέπω κακόν γ' ἀπώλετο,

dubium non est quin ita scribi debeat:

ἔμελλ'. ἐπεὶ ἐδέν πω κακὸν γ' ἀπώλετο.

In Euripide quidem facile corrigi posset τέμμα. Vide ad v. 433. Sed non memini in tragicis articuli cum hoc quidem nomine contractionem reperisse. Quare adducor, vt sic scripsisse Euripidem credam:

καὶπὶ μεῖζον ἔρχεται
τῆς εὐγενείας τένομ', ὅστις ἄξιος.

Cuius lectionis locum explicatio interpretum videtur occupasse. Idem vitium non animadverterunt critici in Sophoclis Electra v. 690.

ὅσων γὰρ εἰσεκήρυξαν βραβῆς
δρέμων διαύλων πενταέθλ', ἃ νομίζεται.

Expulsa adnotatione interpretum scribendum:

ὅσων γὰρ εἰσεκήρυξαν βραβῆς
δρόμων διαύλων, ὧν νόμος, πενταέθλια.

Nam praeter foedum anapaestum in verbis ἃ νομίζεται, etiam πενταέθλα quadrisyllabum ab Attico sermone abhorret. Huius generis multos errores castigauit Brunkius, sed quibusdam ipse deceptus est, vt in Sophoclis Antigona v. 1240. vbi edidit,

τὰ νυμφικὰ
τέλη λαχὼν δείλαιος ἐν Ἀΐδᾳ δόμοις.

At Ἀΐδης numquam in iambis trisyllabum est. Itaque non debebat Heathii emendationem ἔν γ' Ἀιδᾳ δόμοις, vt ineptam, repudiare. Nam hic quidem γὲ apte adhibetur. Quos ibi affert Euripidis versus in Heraclidis 7.

πόνων
πλείστων μετέσχον εἰς ἀνὴρ Ἡρακλέϊ,

et

et 988.

τῷ σῷ δὲ παιδὶ συγγενὴς Ἡρακλεῖ,

non magis integri sunt. Scribendum,

πόνων
πλείστων μετέσχον εἰς ἀνὴρ ὢν Ἡρακλεῖ,

et in altero loco:

τῷ σῷ δὲ παιδὶ συγγενὴς ὢν Ἡρακλεῖ.

Ac vereor omnino vt secundae syllabae nominis Ἡρακλῆς in iambis productae idonea exempla afferri queant. Nusquam ita Sophocles. Euripides autem his in locis: in Heraclidis v. 211.

Ἡρακλέης ἦν Ζηνὸς Ἀλκμήνης τε παῖς,
κείνη δὲ Πέλοπος θυγατρός.

Scribendum videtur:

ἦν Ἡρακλῆς μὲν Ζηνὸς Ἀλκμήνης τε παῖς,
κείνη δὲ Πέλοπος θυγατρός.

In Ione v. 1144.

ἀνάθημα Διὸς παιδός, ὃς Ἡρακλέης
Ἀμαζόνων σκυλεύματ' ἤνεγκεν θεῷ.

Facile hoc sic corrigi poterit:

ἀνάθημα Διὸς παιδός, ὃς ποθ' Ἡρακλῆς
Ἀμαζόνων σκυλεύματ' ἤνεγκεν θεῷ.

In Hercule furente v. 2.

ὃν Ἀλκαῖός ποτε
ἔτικτεν ὁ Περσέως, πατέρα τόνδ' Ἡρακλέος.

Scribendum puto,

ὃν Ἀλκαῖός ποτε
ἔτικτε, Περσέως παῖς, πατέρα τόνδ' Ἡρακλῆς.

Denique in eadem fabula v. 923.

γῆς ἄνακτ' ἐπεὶ κτανὼν
ἐξέβαλε τῶνδε δωμάτων Ἡρακλέης.

Mirum ni nomen Ἡρακλέης interpretibus debeatur, Euripides autem scripserit ὁ παῖς Διός, vel simile quid. Eiusdemmodi sunt, quae ad Antigonae locum commemorauit Brunkius, μέσσος, et ἔσσομαι. Versus hi sunt: in Antigona 1223.

τὸν δ' ἀμφὶ μέσσῃ περιπετῆ προσκείμενον.

ibidem 1236.

ἤρεισε πλευραῖς μέσσον ἔγχος, ἐς δ' ὑγρόν.

in Electra 818.

ξύνοικος ἔσσομ'· ἀλλὰ τῇδε πρὸς πύλῃ.

Videndum ne hi loci omnes mutando verborum ordine corrigendi sint, primus,

τὸν δ' ἀμφὶ περιπετῆ μέσῃ προσκείμενον,

secundus,

πλευραῖσι μέσον ἤρεισεν ἔγχος,

tertius,

ἔσομαι ξύνοικος.

V. 389. Fortasse hinc ductus Ennii versus,

extemplo acceptam me necato et filiam,

quem Varro de L. L. VI. pag. 68. sine fabulae nomine affert. Legitur autem apud eum *acceptum*

ceptum et *filium*. Sic supra ad v. 151. *miserum* adnotauimus ex vno Nonii loco, quod in duobus aliis locis recte *miseram* scriptum est.

V. 393. Miror Brunkium et Porsonum ὤφειλομεν e membranis, Aldina et aliis libris commemorasse, retinuisse autem ὀφείλομεν, quod sensu caret, et vel sine libris mutari debebat.

V. 396. Reiskii emendationem ὅμοια pro ὁποῖα sequuti recte sunt recentiores. Sed Attice scribendum erat ὁμοῖα.

V. 419. Quum vulgo legeretur, πεντήκοντ' ἄμοιροι δὴ τέκνων, Brunkius e membranis edidit πεντήκοντά γ' ἄμμοιροι τέκνων. Idem est in duobus Moscou. nisi quod ἄμοιροι habent. Recte vero Beckius scripsit ἄμμοροι, eamque scripturam Porsonus confirmauit auctoritate Eustathii ad Iliad. VI. p. 639. l. 57. apud quem hic versus plane, vt editus est, exstat.

V. 423. Elegans sane est, quod Porsonus, Marklando ad Iphig. T. 1291. suadente, edidit ἀθλίᾳ. Nolui tamen bonam librorum lectionem mutare, quum mihi quidem duplex epitheton nec valde inuenustum videatur, vt Porsono, neque auotoritate similium locorum careat. Sic in Hippolyto v. 669.

τάλαινες ὦ πακοτυχεῖς
γυναικῶν πότμοι.

In Suppl. v. 276. κρίνετε ταλαίνας χέρας γεραιάς. et alibi centies. Simile nostro loco est, quod v. 196. legitur, ὦ δυστάνε μᾶτερ βιοτᾶς.

V. 424. Quum Brunkius e membranis ἐμοὶ pro vulgato ἐμὴ dedisset, Porsono tamen ἐμὴ melius

melius visum est. Hoc ἐμὴ exemplis indigebat, quae nisi copiose afferantur, vereor, vt vulgata lectio multis placitura sit eorum, qui morem Graecorum norunt.

V. 425. Kingii coniecturam χαίρωσιν Brunkius aliique, tacite etiam Valkenarius ad Phoenissas v. 621. sequuti sunt. Id vt soloecum repudiauit Porsonus, sed, quem sensum haberet χαίρουσιν, non docuit. Atqui est sane, in quo quis haereat. Nam ad id, quod Polyxena dixerat, χαῖρε, aptum videtur χαίροιεν ἄλλοι, non χαίρουσιν, idque tanto magis, quod etiam Cassandram valere iusserat Polyxena, vt, si χαίρουσιν ἄλλοι respondeat Hecuba, videatur Cassandram Polyxenae morte laetam indicare. At vero, nisi vehementer fallor, non hoc voluit Euripides, omnino gaudere alios, quod fortasse sic expressurus fuisset, ἄλλων τὸ χαίρειν, sed Graecos dicit, qui immolatione Polyxenae laetentur. Quae responsio quum excusationem habeat in sensu Hecubae, hoc acerbior est, quo minus exspectabatur. In eodem versu pro vulgato χαρὰ Valkenarius l. c. τόδε e MS. Leidensi dedit, recte probatum Brunkio aliisque, ac scholiastae auctoritate confirmatum a Porsono.

V. 426. Legebatur Θραξὶ.

V. 433. Librorum omnium lectionem ὄνομα, probante censore Britanno, seruauit Porsonus, qui ad Orestis v. 1080. Iacobsii coniecturam, προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄμμ' ἔτ' ἔστι μοι, vt inutilem, ab se praetermissam dicit. Ἔτι sane non modo inutile est, sed etiam falsum, quia idem, et quidem

quidem longe copiosius, sequentibus versibus dicitur. Non item ὄμμα, quae etiam Wakefieldii coniectura est. At Porsonus, *cuiusmodi*, inquit, *dialectices est, semel dictum eiicere, vt numquam dictum substituas?* Licebit interrogare, cuiusmodi dialectices sit, quod dici potest, repudiare, vt serues, quod non potest. Ὄμμα τινὸς προσειπεῖν dici posse in promptu est; ὄνομα, posse nego. Quid ita? Quia, vt supra ad v. 291. adnotatum est, quaeque circumscriptio conuenire cum verbo ei adiuncto debet. Atqui multo latius patet ὄμμα τινός, quam ὄνομα. Oculus enim vbi est, ibi est is, cuius is oculus est, vt, quae proprie de persona dicantur, facile ad oculum transferri queant. Nomen autem absque re, cuius id nomen est, cogitatur: quare vbi nomen pro re ipsa commemoratur, verbum adhibendum est eiusmodi, quod proprie ad nomen spectet, atque propterea demum ad rem ipsam referatur, quia, quod nominis proprium est, etiam rei, cuius id nomen est, proprium sit. Eiusmodi sunt omnia exempla, quae Valkenarius ad Phoen. v. 415. Porsono laudatus, habet, vt Sophoclis in Antigona v. 53.

ἔπειτα μήτηρ καὶ γυνή, διπλοῦν ἔπος.

Nam si vocari Iocasta mater et vxor potest, mater simul et vxor sit necesse est. Addam de multis, quae conferri possent, duo alia. Tibull. III. 4, 61.

ah crudele genus, nec fidum femina nomen.

Vetus poeta in tragoedia apud Varronem de L. L. V. p. 56.

Aenea.

Aeneas. Quis is est, qui meum nomen nuncupat?

In ipso versu Phoenissarum,

καὶ τοὶ τί θηρῶν ὀνόματος μετὴν, τέκνον;

recte mauult Porsonus sic legi, quam ὄμματος. Nimirum praecessit hoc oraculum:

κάπρῳ λέοντι θ' ἁρμόσαι παίδων γάμους.

Nam si haec nomina conueniunt Tydeo et Polynici, ipsis erunt apro et leoni similes. In Orestis versu, ad quem de hac re disputat Porsonus, librorum auctoritati res permittenda est. Sic enim ibi Orestes ad Pyladen:

ἀλλ', ὦ ποθεινὸν ὄμμ' ὁμιλίας ἐμῆς, χαῖρε.

Id est, *ocelle aequalium meorum*. Quod si ὄνομα legatur, hoc dicet, *salue, o gratum Pyladis nomen prae caeteris aequalium meorum nominibus*. Nomen autem quum sit ei propterea gratum, quia eum, cuius est id nomen, amat, idem erit, ac si dicat, *salue tu, quem maxime aequalium meorum diligo*. Patet, quae de nomine dici possunt, etiam de re ipsa posse intelligi. Verum inde non sequitur, quae rei conueniant, conuenire etiam nomini. Ridiculus foret, qui, si Caesarem a Bruto interfectum dicere vellet, Caesaris ab eo nomen interfectum narraret. Nunc, quaeso, num quis dici potest nomen alicuius alloqui, quum personam alloquitur? Nomen si alloquitur, non alloquitur personam. Id faciat fortasse amator aliquis, cui nomen puellae suae tanta dulcedine aures permulcet, vt id alloquio

quio et compellatione dignetur. Accedit vero aliud etiam argumentum, quare ὄνομα προσειπεῖν hic ferri nequeat. Nam haec verba, προσειπεῖν γάρ σὸν ὄνομ' ἔξεστί μοι, hoc significatura forent: *licet mihi te tuo nomine compellare*, omisso accusatiuo personae. Aeschylus in Agamemnone v. 168.

Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ
φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προσεννέπω.

Euripides in Ione v. 800.

ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζεις πατήρ;

in Heraclidis v. 88.

ὄνομα τί σε, γέρον, Μυκηναῖος ὢν
ὀνόμαζε λαός;

Vt verum fatear, inquit Porsonus in nota illa ad Orestem, προσαυδᾶν ὄμμα *exstare videtur apud Aeschyl. Choeph.* 236. *Ibi tamen Valkenarius legit* ὄνομα: *de* ὄμματος *in loco Phoenissarum* 415. *quae est viri docti coniectura, non clare loquitur. Mihi quidem omnino in his locis recepta lectio seruanda videtur.* De Phoenissarum loco supra dictum. De loco in Choephoris autem non assentior, lubenterque mihi eripi patiar testimonium etiam fortasse vnicum loquutionis, quae testimonio nullo indiget. Verba sunt Electrae ad Orestem:

ὦ τερπνὸν ὄμμα, τέσσαρας μοίρας ἔχον
ἐμοί· προσαυδᾶν δ' ἐς ἀναγκαίως ἔχον
πατέρος τε καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ἑπτὰ

στέρ-

στέργηθρον· ἡ δὲ παυδίκως ἐχθαίρεται
καὶ τῆς τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου.
πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων.

In his si πατρὸς legitur, (sic enim scribendum foret) verba προσαυδᾶν δ' ἐς' ἀναγκαίως ἔχον inepta sunt. Nihil enim hic caussae est, quare Electra necessarium esse dicat, vt fratrem appellet. Sed πατέρος e Turnebi coniectura natum videtur. Edd. Ald. Rob. et MS. Guelferbytanus πατέρα habent, quod etiam in ed. novissima Glasguensi receptum. Hoc aliter stare non potest, nisi si interpunctione post ἀναγκαίως ἔχον sublata, coniungatur cum προσαυδᾶν, vt Electra se dicat fratrem προσαυδᾶν πατέρα. Sic sane quidem hic exstaret προσαυδᾶν ὄμμα: verum constructio verborum perplexa est et inconcinna, quae haec potius esse debebat: πατέρα τε γὰρ προσαυδᾶν ἐστὶν ἀναγκαίως ἔχον, καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει στέργηθρον. Praeterea ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον, quamquam ferri potest, multum tamen cedit elegantia coniecturae Valkenarii, ὄνομα, quod verbum et proprium hic et ad rem maxime accommodatum est. Quin necessarium esse concedat oportet, qui constructionem istam, de qua modo dictum est, mutatam cupit. Igitur recepto ὄνομα, nihil nisi interpunctio corrigenda est, vt omnia recte et commode procedant:

ὦ τερπνὸν ὄνομα, τέσσαρας μοίρας ἔχον
ἐμοί· προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον,
πατέρα τε, καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει
στέργηθρον, (ἡ δὲ παυδίκως ἐχθαίρεται)
καὶ τῆς τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου.
πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ', ἐμοὶ σέβας φέρων.

Ad

Ad προσαυδᾷν enim ὄνομα intelligendum. Plene sic dixisset: προσαυδᾷν δὲ τοῦτο σὲ ἐξὶν ἀναγκαίως ἔχον. Deinde explicatio addita, πατέρα τε, et quae mutata constructione sequuntur. Nunc haec, πατέρα τε, non aliis sequentibus accusatiuis, nihil offensionis habent, quia ad ea repetendum est, προσαυδᾷν ἔφ' ἀναγκαίως ἔχον. Ita singula membra suum habent verbum. Alius de Oreste locus est apud Sophoclem in Electra vers. 902. in quo male ὄμμα legitur pro ὄνομα:

κεὐθὺς τάλαιν' ὡς εἶδον, ἐμπαίει τί μοι
ψυχῇ ξύνηθες ὄνομα, φιλτάτου βροτῶν
πάντων Ὀρέστου τοῦθ' ὁρᾷν τεκμήριον.

V. 439. Ne Wakefieldius, probatus hic quidem censori Britanno, nos cum Porsono et huius antecessoribus hunc locum eo corrupisse dicat, quod plena distinctione post φίλαι posita, ὡς cum accentu edidimus, neque, vt ipsi placet, ἀπωλόμην, φίλαι, ὡς Ἑλένην ἴδοιμι, meminerit, quaeso, non id posse Hecubam optare, vt, quemadmodum ipsa pereat, ita Helenam videat pereuntem, i. e. dolore propter immolationem filiae, sed hoc optare, Helenam vt sic videat morientem, vti nunc moriatur Polyxena. Etenim ὡς ad Polyxenam spectat, nec necesse est, vt verbum ὄλλυσθαι ad ἴδοιμι intelligatur, sed, quo magis animo commota Hecuba est, eo plura paucis verbis comprehendit, ac talem, qualem nunc cernat Polyxenam, videre Helenam cupit.

V. 442. Αἴρα pro αὔρα scribendum docuit Porsonus.

V. 449.

V. 449. Vulgo ἔνθα τὸν παλλίσων. Bene deleuit articulum Porsonus.

V. 451. Miror Porsonum glossam πεδίοις praetulisse. Haud exigua pars librorum τὰς γύας, quod probauere Valkenarius ad Phoen. 648. Toupius ad Suidam vol. I. p. 190. et Brunkius. Articulum delendum fuisse, versumque esse Phalaeceum hendecasyllabum, qui vulgo pessime in duos versiculos distrahitur, iam in lib. III. de metris ostenderam p. 443.

V. 457. Hic versus, quem frequenter vsurpant tragici, amphibracho constat et cretico. Hinc tertia syllaba anceps est. Id ignorans Brunkius ordinem verborum immutauit, versumque dedit iambicum, si diis placet, imperitissimo isti Heathio obsequutus.

V. 459. Κέρως pro vulgato κέρωσιν recte Porsonus ex MSS.

V. 466. Δαιδαλέωσι, quod in edd. omnibus est, ex adnotatione natum. Metrum postulat δαιδάλοισι. Pindarus τᾷ δαιδάλῳ μαχαίρᾳ. Nem. IV. 95. vbi non cogitandum de Daedalo. Versus eodem metro est, quo v. 447. et 457. quem editores male auxerunt prima sequentis versus syllaba. Id arguit male diuisum vocabulum ποικίλλεσαι, nec melius disiunctum ἐν a ξείνᾳ χθονὶ in antistropha. Nam monosyllaba praepositio ante ipsum verbum, quod regit, collocata, tamquam coniuncta cum hoc verbo pronunciatur, vt diuulsa ab eo iisdem vitiis obnoxia sit, quibus integrorum verborum distractio. Vide commentationem nostram de metris

metris Pindari part. I. cap. IV. et quae Germanice de metris scripsimus.

V. 482. Wakefieldius αὕτη mutat in αὐτή, non probante Britanno censore. Sophocles in Electra v. 1474.

αὕτη πέλας σῦ.

Idem speciosius, quam verius, pro νῶτα legendum putat χρῶτα, vt v. 404. ne Hecuba ἐξυπτιασθεῖσα ἀσχημόνως in hominum, id virorum dicere volebat, conspectu iaceat. Censor Britannus nihil lucri accedere putat ex Wakefieldii correctione, quia siue χρῶτα, siue νῶτα legatur, id sit idem, quod σῶμα, vt in Electra v. 481. Huic argumento non multum tribuerim. Nam vbi pars pro toto commemoratur, apta pars nominanda est, non, quae possit ad indecoram significationem flecti. Ac quod affert eruditus censor ex Aeschyli scholiis ad Suppl. 95. τὸ γὰρ εἰς νῶτον πίπτειν τὰς παλαιστὰς ἄσχημόν ἐστιν, ab eo diuersissimum esse Hecubae locum nemo sane ei non largietur, verum non est indecori significatione diuersus, sed re, in qua illud indecorum sit. Alia igitur excusatione opus videtur. Eam fortasse praebeant illa, συγκεκλεισμένη πέπλοις. Sed poterat hoc quoque contra Euripidem afferri, qui prae dolore se humi prosternerent, non sursum vertere faciem, supinosque iacere, sed pronos in solo vultum occultare. Verum omnia recte se habere videntur, quandoquidem Hecuba, viribus deficiens (vide v. 456. 438.) non ipsa se humi proiecisse, sed a choro reclinata videtur,

qui

qui cur eam pronam magis, quam supinam, vt fieri solet, reclinauerit?

V. 485. Libri omnes, ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην ψευδῆ. Pro ἄλλως Brunkius ex Reiskii et Musgrauii coniectura edidit αὐτὰς. Non recepit Porsonus, sed pronomen tamen aut nomen deesse monet, quod ἐκ κοινοῦ supplere durum sit. Dictum vere, nec tollit hanc difficultatem Wakefieldius, ἄλλως ad λέξω trahens, ita vt dicat Talthybius, τί λέξω; τῦτο — ἢ ἄλλως. Mihi quidem αὐτὰς etiam propterea displicet, quod non satis recte opponitur praecedenti σέ. Itaque leniore, et, vt puto, longe verisimiliore coniectura pro τήνδε reposui τόσδε. Quod quidem si cui forte propterea minus arrideat, quod sermo tragicorum hic magis τόσας requirere videatur, non desunt tamen exempla, in quibus ὅδε pro ἔτος occurrat. Vnum afferam, sed luculentissimum. Sophocles in Philoct. v. 86.

ἐγὼ μὲν ὃς ἂν σῶν λόγων ἀλγῶ κλύων,
Λαερτίᾳ παῖ, τόσδε κἀμὲ πρόσσεν στυγῶ.

Σῶν hic pro τῶν scribendum putaui.

V. 492. Nil nisi importuna emendandi libido compellere Wakefieldium poterat, vt χρόα pro κάρα scribendum putaret.

V. 493. Ennius apud Nonium in *euenat* pag. 501.

senex sum, vtinam mortem oppetam priusquam euenat,

quod

quod in pauperie mea senex grauiter gemam.

Porsonus in addendis adnotat, Hermiam in schol. MSS. in Phaedrum apud Ruhnkenium ad Timaeum p. 200. hinc afferre, γέρων μὲν εἰμί, ἀλλ' ὅμως θανεῖν ἔχρῃζον, vt videri possit legisse,

ὅμως δ' ἔχρῃζον ἂν
θανεῖν.

Vereor ne locum memoriter attulerit.

V. 500. Pronomen σὲ ante Ἀγαμέμνονος incommode addit Wakefieldius, omissionem vocans erubescendum soloecismum. Thucydides I. 112. καὶ ἑξήκοντα μὲν νῆες ἐς Αἴγυπτον ἀπ' αὐτῶν ἔπλευσαν, Ἀμυρταίῳ μεταπέμποντος. De actiua forma μεταπέμπειν videndi interpretes ad Thomam M. in μεταπέμπομαι.

V. 508. Ἥμας encliticum hic et alibi scribendum fuit pro ἡμᾶς.

V. 521. Gloriatur inuento suo Wakefieldius, iungendum esse Ἀχαιῶν ἄκριτοι. Potuisse enim etiam e Troianis eligi. Itane vero? Captiui vt sint sacrorum ministri, et exsequias faciant primo Graecorum heroi?

V. 551. Vix credibile est, quemquam interpretum in hoc loco haerere potuisse. Tamen id et veteribus, et recentioribus accidit, ita vt Musgrauius ἀσπασὴν ὅπα scribi vellet, Iacobsius autem in Exercitatt. pag. 25. seq. in versu 553. κόρη δ' ὅτ' εἰσήκουσε scribendum putaret, quin immo haec omnia, ὑσάτην ὅπα, ἔπερ καὶ μέγι-

σον

ϛον ην κράατος· καὶπεὶ τόδ' εἰσήκυσε, tamquam adnotationem interpretis cuiuspiam, deleri mallet, scribique in hunc modum,

ἡ δ' ὡς τάχις' ἤκυσε δεσποτῶν ἔπος.

Censor Porsoni Ienensis versus 551. et 552. integros delendos putat. Id est sana sanando corrumpere. Ὑσάτην ὄπα vocat nouissimum verbum ex iis, quae Agamemno dixerat.

V. 555. MS. Reg. Soc. et membr. λαγόναϛ, vnde Brunkius λαγόναϛ εἰϛ μέσαϛ dedit. Vulgata lectio tantum abest, vt glossema sapiat, quod putat Brunkius, vt sit exquisitissima. Plerumque enim λαγόνες plurali numero dicuntur; longe rarius singularis occurrit. Eum habet Theocritus XXII. 121. 202. Nam in Chaeremonis versibus apud Athenaeum p. 608. quos ad nostrum locum emendare studuit Iacobsius in Exercitatt. p. 23. λαγὼν non videtur corporis, sed vestis partem vel latus notare, siue intelligatur πτέρυξ, siue scissura, similiter vt apud Hesychium est, λαγόνες, σχίσμα γῆϛ. Versus Chaeremonis equidem sic emendandos puto:

ἔκειτο δ' ἡ μὲν λευκὸν εἰϛ σεληνόφωϛ
φαίνουσα μαϛόν, λελυμένης ἐπωμίδοϛ·
τῆϛ δ' αὖ χορείαι λαγόνα τὴν ἀριϛερὰν
ἔλυσε, γυμνὴν δ' αἰθέροϛ θεάμαϛιν
ζῶσαν γραφὴν ἔφαινε, χρῶμα δ' ὄμμαϛιν
λευκὸν μελαίνηϛ ἔρεγον ἀντήυγει σκιᾶϛ·
ἄλλη δ' ἐγύμνου καλλίχειραϛ ὠλέναϛ,
ἄλλη πρόϛαντ' ἔχουϛα θῆλυν αὐχένα·
ἡ δ' ἐκραγέντων χλανιδίων ὑπὸ πτύχαϛ
ἔφαινε μηρόν, καὶ ξυπεϛφραγίζετο

ὥραϛ

ὥρας γελώσης· χωρὶς ἐλπίδων ἔρως.
ὑπτώμεναν, δ' ἔπιπτον ἐλενίων ἔπι,
ἴων τε μελανόφυλλα συγκλῶσαν πτερά,
κρόκον θ', ὃς ἡλιῶδες εἰς ὑφάσματα
πέπλων σκιᾶς εἴδωλον εἰσομόργνυται·
Πέρσης δὲ θαλεροῖς ἐκτεαφεὶς ὠμάρακος
λειμῶσι μαλακῆς ἐξέτεινεν αὐχένας.

Facile veniam nobis impetrabit hic locus, tenerrimae venustatis plenissimus, si pauca quaedam ad eum illustrandum attulerimus. Ἔλυσε v. 4. plusquamperfecti significationem habet. *Vestis*, inquit, *e saltatione soluta erat.* Paullo post λευκὸν χρῶμα ἔργον μελαίνης σκιᾶς colorem lateris dicit hoc magis candentem, quo magis ille opposita vmbra eminebat. Cum v. 9. et 10. comparari possunt, haec Aristophanis in Ranis v. 410. Casauboni emendationem ἐκφαγέντων firmantia:

καὶ γὰρ παραβλέψας τι μειρακίσκης
νῦν δὴ κατεῖδον, καὶ μάλ' εὐπροσώπου,
ξυμπαιστρίας, χιτωνίῳ
παραῤῥαγέντος τιτθίων προκύψαν.

Mox ἐξυπεσφραγίζετο ἔρως ὥρας γελώσης est *excludebatur*, *nudabatur*. Euripides in Herc. fur. v. 53.

ἐκ γὰρ ἐσφραγισμένοι
δόμων καθήμεθ' ἀσπορίας σωτηρίας.

Denique amaracus ἐκτεῖναι αὐχένας quum dicitur, id significat *moribundum se porrigere*. Ἐκτείνειν enim proprium in hac re verbum est. Vide Gatakerum ad M. Antonin. IV. 3. p. 93. Hinc explicandum illud Sophoclis ἐκτέταμαι in

Oed. Rege v. 153. quod non intellexerunt interpretes.

V. 556. Comparauit cum hoc versu Iacobsius locum Chaeremonis in Alphesiboea apud Athenaeum p. 608. in quo docte et acute ὄψανα, Aeschylo adhibitum vocabulum, pro ὄψεις restituit. Sed alia praeterea ex istis Chaeremonis versibus, neque exigua vitia tollenda sunt. Totum fragmentum ita scribendum videtur:

καὶ σώματος μὲν ὄψανα κατηυγάζετο,
στίλβοντα, λευκοχρώματ', εἶδος διαπρεπῆ·
αἰδὼς δ' ἐπερρύθμιζεν, ἠπιώτατον
ἐρύθημα λαμπρῷ προστιθεῖσα χρώματι·
κόμαι δὲ κηροχρῶτες, ὡς ἀγάλματος,
αὐτοῖσι βοτρύχοισιν ἐκπεπλασμένοι
ξυθοῖσιν ἀνέμοις ἐνετρύφων φορούμενοι.

Quod apud Athenaeum legitur κατειργάζετο, et λευκῷ χρώματι διαπρεπῆ, horum alterum metro repugnat, prius etiam sensum turbat. Κατειργάζετο enim vix aliter, quam de simulacro fingendo, intelligi posset, quod falsum esse arguunt illa, ὡς ἀγάλματος. Deinde ὄψανον Aeschylus in Choeph. v. 530. de simulacro per quietem oblato adhibuit: nec videtur aliter intelligi posse. Quamobrem hic quoque de somnio agi verisimile est; quo ducit etiam ἐκπεπλασμένοι. Illud mirum, quod Athenaeus hunc locum ita attulit, tamquam si in eo de floribus ageretur. Caeterum quod ὄψανα contra Dawesii canonem, in Misc. crit. p. 211. et 212. prolatum, vltimam in ictu habet, id per me licet moretur eos, qui huius oracula exceptione

ptione maiora habent. Lex ista Dawesii ad ea exempla restringi debet, in quibus syllabae, quae N paragogicum habere possunt, sine hac littera sub ictu sunt. Eiusmodi quaedam exempla bene emendauit censor Wakefieldii Britannus, (*Monthly Review* Jul. pag. 325.) qui modo vellem ne omnino Dawesianam regulam probaret. Latinos autem poetas quum Dawesius eamdem legem sequutos dicit, multo maiorem prodidit imperitiam. E quibus non duo, sed aliquot centurias exemplorum proferre et corrigere debebat. Caeterum id quoque falsum est, quod Dawesius ad istam rem verba duabus syllabis longiora requiri putat. Exceptionem quamdam infra commemorabimus ad v. 1054.

V. 566. Pro vulgato κρύπτειν θ' ἃ κρύπτειν Brunkius ex membranarum lectione κρύπτεσά θ' ἃ κρύπτειν edidit κρύπτεσ' ἃ κρύπτειν, quod confirmauit Porsonus auctoritate afferentium haec verba Clementis Strom. II. p. 506. Hermogenis περὶ κακοζήλ. p. 75. ed. Ald. Eustathii ad Iliad. II. p. 216. l. 7.

V. 576. Λέγω cum Brunkio et Porsono dedimus ex coniectura Heathii pro vulgato λέγον. MS. Harl. λέγων. Britanno censori scripsisse videtur poeta, τοιάδ' ἔλεγον ἀμφὶ σῆς παιδὸς θανάσης. Miror tam versatum in Graecis poetis virum non recordatum esse moris, quo nuncii perorare solent. Vide Aeschylum in Persis v. 327. 468. 511. vbi sic scribendum videtur:

ταῦτ' ἔστι ταῦτα· πολλὰ δ' ἐκλείπω λέγων
κακῶν, ἃ Πέρσαις ἐγκατέσκηψεν θεός.

Nam quod in libris est, ταῦτ' ἐς ἀληθῆ, ex interpretatione natum. Id debebat dici τἀληθῆ, vt in Agamemnone v. 692.

τοσαῦτ' ἀκέσας ἴσθι τἀληθῆ κλύων.

Porro in Agamemnone v. 594. Sophocles in Electra v. 761. in Trachiniis v. 943. in Philoct. v. 389. 620. Caeterum elegans est Wakefieldii coniectura δέχε.

V. 580. Dignus Attii grandiloquentia versus hinc sumptus videtur,

veter fatorum terminus sic iusserat.

Eum affert Priscianus lib. VI. p. 716. ex Attii Hecuba. Qui Prisciani locus quum solus sit, in quo Hecubae Attii mentio fiat, nisi forte Ciceronis locum, a Mureto Attii nomine auctum, addideris, de quo dicemus ad v. 588. nonnihil dubitabam, an apud Priscianum aliquid vitii lateret. Sed et in poetae et in fabulae nomine consentiunt duo codices membranacei bibliothecae Paullinae Lipsiensis.

V. 584. Wakefieldio διαδόχοις corrigenti censor Britannus alium opposuit similem locum, in quo διάδοχος datiuo simul et genitiuo iunctum est: Suppl. v. 72. vbi γόοις cum Valkenario ad Phoen. p. 134. legit, et sic interpungit:

ἀγὼν ὅδ' ἄλλος ἔρχεται, γόων γόοις
διάδοχος.

Nec multum differt alius ex Andromacha v. 803.

ὡς κακὸν κακῷ
διάδοχον ἐν τῇδ' ἡμέρᾳ πορσύνεται.

Quae

Quae praeterea exempla idem censor attulit, quem ad finem commemorauerit, non video. Alia enim eorum prorsus nihil faciunt ad rem, in aliis autem datiuus non ad διάδοχος, sed ad verbum, quod additum habent, pertinet. Hi loci sunt in Andromacha v. 744. in Alcestide v. 658. in Aeschyli Prometheo v. 477.

V. 588. Ex hoc loco ducti sunt illi versus apud Ciceronem Tusc. Q. II. 4.

probae etsi in segetem sunt deteriorem datae
fruges, tamen ipsae suapte natura enitent.

Apud Ciceronem quum legeretur: *falsumque illud ac improbe: etsi*, et quae sequuntur, Muretus emendauit, *falsumque illud Accii, probae etsi.* Praeclaram Reizius dicebat hanc coniecturam: verum tamen vereor ne Ennii magis nomen, quam Attii isto in loco lateat. Certe Ennii versus esse eo probabile fit, quod ex huius Hecuba tot versus memorantur satis accurate respondentes Euripideis, ex Attii Hecuba autem vnus tantum, isque talis, vt possit etiam non esse ab Euripide traductus.

V. 591. Libri omnes cum scholiasta ἀνθρώπους. Quocumque te vertas, sensus impeditus est. Nam neque datiuus commodi, qui dicitur, hic locum habet, quia ei non diuersa res, sed partitio ipsius rei, cuius ille datiuus est, subiicitur; neque ἐν, quod vulgo cum scholiasta supplent, commode omissum censebitur. Primum enim, si quasdam formulas exceperis, perrara sunt huius omissionis exempla. Apud Sopho-

Sophoclem quidem in Electra v. 174. non dubito, quin scribendum sit,

ἔστι μέγας ἐρανῷ
Ζεύς.

Male ibi ἐν seruauit Brunkius, dactylum et anapaestum dipodiae iambicae loco positos dictitans. Meminisse debebat Dawesiani canonis, quem quidem pridem melius Dawesio et obseruarat et intellexerat Bentleius. Argumenta exposui in lib. II. de metris cap. XIV. Sed vt in locorum nominibus datiuus omisso ἐν adhibeatur, vereor id vt commode fieri possit in personarum commemoratione. Deinde autem, vt hoc quoque recte fiat, ne sententia quidem apta inde nascitur. Primum enim, quum in his verbis aliquid inesse deberet, quod opponeretur praecedenti γῇ, nihil est, quod recte oppositum sit. Nam homines ipsi quum essent opponendi, opposuit aliquid earum rerum, quae sunt inter homines. Id autem quid sit, postea demum patet, vbi ipsos homines probos atque improbos commemorat. Neque enim ex eo, quod dicit *inter homines*, cognosci potest, ipsos homines intelligi. Sensisse hoc scholiasten ex eius interpretatione coniicias, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις τοῦτο οὐκ ἔστιν ἰδεῖν. Quae si vera esset explicatio, recte se omnia haberent: quippe non ipsi homines agris opponerentur, sed ratio, quae inter homines obtinet, cum agrorum conditione compararetur. At, quantumuis hoc ipsum cogitauerit poeta, non expressit tamen verbis. Deinde autem, vt mittam oppositionis vitium, quis hic, obsecro, sermo est: *inter homines homines improbi semper*

per mali, probi semper boni sunt? Quidquamne dici non solum incultius, verum etiam languidius potest? Accedit quod illud ἐν ἀνθρώποις hunc potius sensum habiturum foret, improbos semper malos, probos semper bonos ab hominibus perhiberi. Sic supra v. 377.

δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς.

Vide Hippolyt. v. 97. 103. Iph. Aul. vers. 429. 1032. Quid multa? Scripsit Euripides, ἄνθρωποι δ' αἰεί, ὁ μὲν πονηρὸς ἐσθλὸν ἄλλα πλὴν κακός, ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλός. Infra v. 1159.

πολλαὶ γὰρ ἡμῶν, αἱ μὲν εἰς ἐπίφθονοι,
αἱ δ' εἰς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν.

V. 598. Pro μαθὼν Porsonus scripsisse Euripidem μετρῶν putat, propterea quod modo praecesserit μάθῃ. Wakefieldius σαθμῶν coniicit, quod Graecum non esse ostendit censor Britannus. Non debet in tragicis offensioni esse eiusdem vocabuli repetitio, quam vt Aeschylus amat, ita Sophocles et Euripides non euitant.

V. 609. Subtiliorem horum versuum compagem viros doctos non percalluisse dicit Wakefieldius. Itaque haec, ὡς μὲν ἀξία, vsque ad πάθω, parenthesin facit, tum corrigit κόσμου γ' ἀγείρασα. *Res*, inquit, *molestiorem curam respuit, et nos non lente festinamus.* Ita videtur.

V. 623. Hinc videtur illud Ennii esse, quod Cicero de Fin. II. 13. omisso fabulae nomine affert:

nimium

nimium boni est,
cui nihil est mali.

Sed quum paullo ante (vide ad v. 588.) trimetris iambicis vsus esset Ennius, vereor ne sic scripserit:

nimium boni est, cui nil mali est.

V. 629. Legebatur, ἑτάμεθ', ἄλιον ἐπ' οἶδμα. Sedem praepositionis mutaui, ne ἄλιον mediam syllabam in ictu haberet, qui semper in prima est, vt infra v. 918. 928. et in Helena v. 780. Non sum nescius, Graecos poetas in hoc genere Latinis longe negligentiores esse. Sed ista plerumque aut primi tantum pedis trimetrorum, aut illarum vocum licentia est, quae nisi ictu minus commode collocato aptari ad versum nequeunt.

V. 630. In metrorum descriptione peccauerant editores, qui primam syllabam sequentis vocabuli, male interrupto eius numero, huic versui addiderant.

V. 641. 642. Vulgo hi duo versus in quatuor diuisi leguntur:

ἐπὶ δορί, καὶ φόνῳ, καὶ ἐμῶν
μελάθρων λώβᾳ.
στένει δὲ καί τις ἀμφὶ τὸν
εὔρυν Εὐρώταν.

Quocumque modo distinguere velis, inepti exsistunt numeri. Duo versus sunt, eodem numero,

⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – | ⏑ –

Itaque

Itaque εὕρεον scripsimus, pro quo in libris est εὔρεν.

V. 651. Recte Wakefieldius interrogationis signum non post τάλαινα, sed in fine versus apponendum monuit.

V. 652. Hoc εὖδε, eleganter dictum pro παύεται, in mentem nobis reuocat Theocriti locum, II. 126. vbi amator, si puellam osculari contigisset, contentum se futurum fuisse dicens, ita loquitur,

εὖδον δ', εἴ κε μόνον τὸ καλὸν σῶμα τεῦς ἐφίλασα.

Vbi Valkenarius, *eleganter quidem*, inquit, *adhibetur a Graecis* εὕδειν, *sed quo hic sensu ponitur, si tamen illud* εὖδε *scriptum fuit a Theocrito, vix alibi reperietur.* Tollamus tam ineptam loquutionem ex elegantissimo poeta litterae vnius mutatione:

εὖ δ' ἦς, εἴ κε μόνον τὸ καλὸν σῶμα τεῦς ἐφίλασα.

Id quum scriptum esset neglecto Dorismo εὖ δ' ἦν, postea in εὖδε mutatum fuit. Vnde metri fulciendi gratia alii δ', alii τ' addidere.

V. 653. Elegantius scripsisset ad numeros, ἐν παχέῖσι δύ.

V. 674. Occurrunt hic iambicis trimetris intermixti dochmiaci, vt in Hippolyto et alibi. Eorum naturam et rationem editores non sunt vbique assequuti. Nec mirum, quum pars horum versuum pessime corrupta in libris circumferretur. Nostras emendationes erunt fortasse qui

qui temerarias dicant. Sed hos satius est ab emendando Euripide abstinere. Etenim num piaculum facit is, qui dochmiacis systematibus numeros suos restituit, non facit autem, qui anapaestis, aut iambis, trochaeisue? Brunkium merito temeritatis accusamus, qui quae metri caussa hic et alibi emendauit, non legitimorum versuum et vsitatorum gratia mutauit, sed vt verba iis, quos ipse scilicet quoque in loco excogitauerat, numeris responderent. Igitur hic Porsonus cum aliis, ὦ τέκνον, τέκνον, αἰαῖ, κατάρχομαι. Alii recte bis ὦ τέκνον. Αἰ αἰ autem, quod omnes habent, in ἔ ἔ, dochmiaco postulante, mutauimus, correcta etiam versuum descriptione, quae alia in aliis libris MSS. et edd. in nullo bona erat. Mox omnes ἐξ ἀλάσορος, metro vitiato. Sane quidem ἀλάσωρ certum quoddam numen est, vt recte dicatur ἐξ ἀλάσορος. Videatur Iphig. in Aul. vers. 946. Troad. 763. Electr. 979. sed non minus frequenter ἀλαστόρων τις occurrit; vt in Oreste v. 336.

πορεύων τις εἰς δόμον ἀλαστόρων.

et v. 1668.

καίτοι μ' ἐσῆκε δεῖμα, μή τινος πλύων
ἀλαστόρων, δόξαιμι σὴν κλύειν ἔπα.

et in Hippolyto v. 820.

κηλὶς ἄφραστος ἐξ ἀλαστόρων τινός.

et in Iphig. Aul. v. 878.

τίς αὐτὸν ὑπάγων ἀλαστόρων;

V. 680. Editi et MSS. numeris prorsus perditis,

ditis, ἐδέπτοτ' ἀδάκρυτος, ἀστένακτος ἀμέρα μ' ἐπισχήσει. Opportune vero certissimam emendationis viam ostendit cod. Moscou. C. in quo est ἀδάκρυτον, ἀστένακτον. Hinc ἀμέρα in ἦμαρ mutauimus, quae verba saepius permutantur, et pronomen eo loco posuimus, quo versus indicabat ponendum. Pronominum sedes haud raro fluctuat.

V. 690. Legebatur, ὤμοι, αἰαῖ, ἔμαθον ἐνύπνιον, ὀμμάτων τ' ἐμῶν ὄψιν. Copulam Brunkius et Porsonus cum parte MSS. omisere. Brunkius etiam interpunctionem post ἐνύπνιον sustulit, vt hoc tamquam adiectiuum ad ὄψιν pertineret. Nos, vt suprà, αἰαῖ in αἲ αἲ, et ἐνύπνιον in ἔνυπνον mutauimus. Forma verbi huius, quo carent lexica, non poterit suspecta esse in tanta multitudine vocabulorum vtramque terminationem habentium, vt ἐννύχιος et ἔννυχος, ἑσπέριος et ἕσπερος. Atque ἔξυπνος et alia similia in vsu sunt.

V. 691. Legebatur: ἕ με παρέβα φάσμα μελανόπτερον, ἂν ἐσεῖδον ἀμφί-σ', ὦ τέκνον, ἐκέτ' ὄντα Διὸς ἐν φάει, numeris corruptissimis. Brunkius nescio cuius metri caussa ordinem verborum sic mutauit, ἕ με φάσμα παρέβα, idemque εἶδον a Kingio oblatum dedit, quae mutationes magis etiam metrum peruertunt. Nos ἐσεῖδον ἂν reposuimus, tum ἀμφὶ σοί, ὦ τέκνον, quam coniecturam firmat prope accedens scriptura codicis vnius ex Moscouiensibus, ἀμφὶ σόν, τέκνον. Corruptionis origo quaerenda in mutatione casus, σοὶ et ὄντα. Eam sermonis negligentiam copiosius illustrauit Brunkius ad Aeschyli Prometheum v. 217. et Sophoclis Electram

ctram, v. 480. Illustre exemplum exstat in Sophoclis Antigona v. 857. seqq.

V. 695. Legebatur Θερήκιος.

V. 721. Librorum lectionem ὀδύρῃ in δύρῃ mutauit Musgrauius. Δύρεσ edidimus cum Porsono, qui hanc huius verbi formam analogia, grammaticorum auctoritate, poetarumque exemplis confirmauit. Illud autem nollem dixisset, δύρομαι reponendum esse in Euripidis Andromacha v. 397.

αἰτίᾳ τί ταῦτ' ὀδύρομαι;

et in Neophronis Medea apud Stobaeum p. 107.

καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι.

Caussam hanc attulit, quod tragici numquam ita senarium disposuerint, vt pedes tertius et quartus vnam vocem efficerent. Bona sane ista obseruatio est, sed non tantam habet vim, vt, quocumque in versu tertius et quartus pes vno vocabulo constant, is continuo emendandus sit. Id sponte animaduertisset vir eruditissimus, si non satis haberet obseruare, sed in caussas etiam earum rerum, quas obseruauit, inquirendum putaret. Quid enim est, quare isti pedes non soleant vno vocabulo impleri? Quidquamne est in isto Neophronis trimetro,

καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμήν,

quod vel rigidissimo aurium iudicio displicere queat? Nihil scilicet, nisi quod vsitatam caesuram non habet. At haec frequentissime negligitur. Vt breuiter dicam, ex ista obseruatione

tione nihil discimus aliud, quam casu factum esse, vt tertium quartumque trimetrorum pedem non soleat vnum implere vocabulum. Etenim quum multo maxima pars trimetrorum vsitatam illam caesuram habeat, qua tertii pedis pars absumitur, primum hi trimetri omnes ex illorum numero excludendi sunt, quorum tertius et quartus pes vno vocabulo constare possint. Deinde autem his detractis qui trimetri restant, eorum magna pars aeque hic omittenda est, quippe caesuram violatam habens vocabulo vltra tertii pedis priorem partem producto, vt in Hecubae v. 716.

δέμας περιπτύσσοντες, ἀγγέλλωσί μοι.

Restat igitur exiguus dumtaxat illorum versuum numerus, qui in ipso secundi pedis fine finem vocabuli alicuius habent. Horum vero quotus quisque est, in quo vel argumentum vocabula offerat tam longa, vt tertium simul quartumque pedem impleant, vel orationis ratio vocabula ista in his magis, quam in vltimis duobus pedibus collocari postulet? Quae quum ita sint, non vicerit vir doctus, vt in Andromachae Euripidis aut Medeae Neophronis versu δύρομαι, quantumuis probum, vulgatae lectioni praeferamus. Caeterum quod numquam tragicos ita senarium disposuisse contendit, vt pedes tertius et quartus vnum vocabulum efficerent, id vereor, ne, si quis in re tam inutili peruestiganda operam ludere voluerit, aliquot exemplis falsum esse cognoscat. Vnum certe nobis nunc in promptu est ex Agamemnone Aeschyli v. 1265.

ἢ καίρ' ἄγαν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.

Propter easdem caussas perraro vocabulum quadrisyllabum occupat sedes secundam et tertiam, vt in Aeschyli Persis v. 507.

Θρήκην περάσαντες μόγις πολλῷ πόνῳ.

Quod qui propterea, quia rarum est, sic corrigi vellet,

Θρήκην μόγις πολλῷ περάσαντες πόνῳ,

non minus falleretur.

V. 739. Vulgato ἐπάρκειαν praeferendum putat Porsonus lectionem MS. Reg. Soc. ἐπάρκεσιν, quod altera forma apud tragicos non occurrat, ἄρκεσις autem apud Sophoclem in Oed. Col. v. 73. et ἐπάρκεσις ibidem v. 447. inueniatur. Huno igitur sequuti sumus.

V. 741. Ennius apud Nonium in *guttatim*,

vide hunc, meae in quem lacrumae guttatim cadunt.

V. 745. Brunkiana lectione, τῶν δ' θανόντων, nihil opus esse videtur Porsono. Immo miror Brunkio tam ineptam coniecturam in mentem venire potuisse. Si Polydorus vnus est τῶν δ' θανόντων ὑπ' Ἰλίῳ Πριαμιδῶν, superstitum vnus est. Qui vero sunt isti? Adde quod Agamemno, quum interrogat,

ἦ γάρ τιν' ἄλλον ἔτεκες, ἢ κείνους, γύναι;

hoc dicturus esset, *ecquem alium peperisti? quam eos, qui ad Troiam non ceciderunt.* Ex quo consequeretur, eos, qui ad Troiam occubuissent, non fuisse Hecubae filios.

V. 755.

V. 755. Vulgo τίνος γ' ὑπ' ἄλλε. Quidam MS. γὲ omittunt. Non dubitauimus recipere, quod Porsonus coniecit, τίνος πρὸς ἄλλε, confirmatum quum similium exemplorum comparatione, tum eo, quòd πρὸς ad praecedentem quaestionem aptius est.

V. 760. 761. Hos versus nemo desideraret, si abessent. Sed sic saepe Euripides quum aliis in rebus, tum maxime in colloquiis moderandis perquam ineptus est. Qui si Hecubam non scripsisset, quid aliud, quam aliquot lamenta muliercularum periissent? Equidem vnam Aeschyli aut Sophoclis fabulam facile redimerem iactura omnium Euripidis. Placuerit hic Socrati suo, optimo homini, sed a poesi alienissimo.

V. 764. Recte Wakefieldius interpunctionem post σὺ delere iussit.

V. 768. Quatuor Moscouienses λέγεις, quod non est deterius.

V. 775. Vulgatam lectionem ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτα τῶν ἐμῶν φίλων, mirifice mutarunt editores. Musgrauius ξένια coniecit. Brunkius e membranis ξενίας τ' ἀριθμῷ τὰ πρῶτα dedit. Beckius ξενίας cum praecedentibus coniunxit. Idem fecit Wakefieldius, qui omissa copula aut vulgatam lectionem retinendam, aut sic scribendum putat, ἀριθμῷ πρῶτα τ' ὢν ἐμῶν φίλων, ad eam emendationem a Porsono adductus, qui participium requiri ratus, quo duo sententiae membra connecterentur, e coniectura sua sic edidit:

ξενίας

ξενίας τ' ἀριθμῷ πρῶτος ὢν ἐμῶν φίλων.

Primum ii vehementer errarunt, qui ξενίας ad praecedentia referunt, quod sive substantiui, sive adiectiui loco habeant, languidum ineptumque est. Ξενίας ἀριθμὸς certe morem et ius hospitii significare potest. Deinde, etsi τὸ πρῶτα propter anapaestum ἀριθμῷ ferri non potest, dubitari tamen poterat, an propterea πρῶτα sine articulo non esset expellendum. Aeschylus certe sic loquutus videtur in Persis v. 855.

πρῶτα μὲν εὐδοκίμει
ξρατιᾶς ἀπεφαινόμεθα.

Participium autem vt eleganter adhibitum esset, potuit tamen etiam omitti, vt supra v. 77.

ὃς μόνος, ὅπων ἄγκυρά τ' ἐμῶν,
τὴν χιονώδη Θρῄκην κατέχει.

Quamquam nolo vulgatae lectioni praesidium petere ex Aeschylo, cuius saepe antiquior sermo est, quam reliquorum tragicorum. Sed ne Porsoni quidem lectio, quantumuis elegans, mihi satisfacit: quod Britannus quoque censor sibi dicit accidere. Etenim, quod ait Porsonus, quum semel scriptum esset, πρῶτος ὢν τῶν ἐμῶν φίλων, vulgatam lectionem ab aliquo metri studioso inde effictam esse, id parum credibile est. Nam cur is tantum a vulgatae lectionis vestigiis discedere, quam, quod cuique in promtu est, articulum delere maluisset? Nihilominus vere hoc vidisse arbitror Porsonum, vulgatam lectionem interpretum adnotationibus deberi. Sed quandoquidem hic locus eiusmodi est, hariolari

riolari vt necessarium sit, licebit mihi quoque coniecturam, veri, vt equidem puto, similiorem, proferre. Videtur ita scripsisse Euripides:

κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί,
ξενίας τε πρωτάριθμα τῶν ἐμῶν φίλων.

Huius vocabuli manifeste interpretatio est vulgata lectio. Est autem accusatiuus, referendus ad τυχών, pariter atque antea genitiuus κοινῆς τραπέζης. Huiusmodi vero voces, quas poetis pro suo arbitrio fingere licet, etiamsi alibi nusquam occurrant, non indigent alia confirmatione, quam vt similis exemplum compositionis proferatur. Atque huic quidem prorsus simile est Aeschyleum vocabulum τρισταρίθμον in Persis v. 430.

V. 776. Hunc versum ineptis interpretationibus et coniecturis tum scholiastae tum critici vexarunt. Si quid mutandum esset, sublata interpunctione scribi posset aut ὅσων δεῖται λαβών προμηθίαν, numero non eleganti quidem, sed tamen non inaudito, vt in fragm. incert. I.

καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις,

(vid. Aesch. Agam. 953. Choeph. 989.) aut ὅσον δὴ καὶ λαβεῖν προμηθίαν. Nam ὅσον quidem est in MSS. Mosc. A. D. Verum nihil opus mutatione. Postquam necessaria acceperat, inquit, curamque in se receperat Polydori, necauit eum.

V. 781. Si verum esset, quod ad Nubes Aristophanis v. 816. contendi, non posse dici

τὰς θεὰς ἡγεῖσθαι, in promptu esset corrigere, νόμῳ γὰρ καὶ θεὰς ἡγούμεθα. Sed erraui. Nam quod ibi dixi, articuli accessione hoc significari, qui sint dii, eos esse credere, id non ita in omnibus locis est. Potest enim hoc quoque per articulum indicari, credere deos esse, quos esse credi soleat. Atque idem in Germanica lingua vsus articuli in hac re est. Hinc patet in Euripidis loco articulum necessarium esse. Simile est illud Sophoclis in Antigona v. 189. de patria:

ἥδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα, καὶ ταύτης ἔπι
πλέοντες ὀρθῆς, τὰς φίλας ποιούμεθα.

V. 793. Libri omnes, ποῖ μ' ὑπεξάγεις πόδα. Porsonus, μ' existimans pro μὲ positum esse, *sensus*, inquit, *esse videtur: quo meum pedem subducis, i. e. quo me cogis te sequi?* Satis contorta foret haec explicatio. Ac vereor, vt similis constructionis idonea exempla afferri queant. Nam quod apud Sophoclem est in Trachiniis v. 339.

τί δ' ἐστί, τῦ με τήνδ' ἐφίστασαι βάσιν;

id nemo non videt alienum ab nostro loco esse. Quod autem in Oedipo Col. v. 113. legitur,

σιγήσομαί τε, καὶ σύ μ' ἐξ ὁδῦ πόδα
κρύψον κατ' ἄλσος,

id ne sit alienum, non minus tamen durum est. Commemorat Brunkius ad eum locum notam suam ad Oed. Tyr. v. 717. sed ista nota ad neutrius Oedipi locum accommodata est; nec quae ad Aristophanis Pacem v. 1099. atque ad Aeschy-

Aeschyli S. ad Theb. v. 836. notauit. Scribendum puto:

σιγήσομαί τε, κἀμὲ σὺ μὲν ἐξ οὐδὲν πόδα
κρύψον κατ' ἄλσος.

In nostro quidem loco nihil mutandum videtur. Ὑπεξάγεις πόδα est *discedis*. Sic in Troad. v. 505.

ἐλπίδων ποίων ὕπο
ἄγετε τὸν ἀίβρον δή ποτ' ἐν Τροίᾳ πόδα,
νῦν δ' ὄντα δῆλον, σιβάδα πρὸς χαμαιπετῆ,
πέτρινά τε κρήδεμνα;

Quod autem viri docti contenderunt, ex pronomine μοὶ diphthongum a tragicis non elidi, id eatenus tantum pro vero haberi posse arbitror, vt, vbi eius pronominis significatio eam vim habet, vt pronomen omitti nequeat, diphthongus non elidi censeatur, vbi autem abundat μοί, posse elidi existimetur, vt fit in οἴμοι. Simile exemplum, vt nostrum est, vbi etiam ante breuem syllabam diphthongus istius pronominis elisa occurrit, in Sophoclis Aiace est v. 191.

μή, μή μ', ἄναξ, ἔθ' ὧδ' ἐφάλοις κλισίαις
ὄμμ' ἔχων, κακὰν φάτιν ἄρῃ.

Vbi quis corruptionis suspicionem moueat?

V. 801. Ἐλπίσαι rarior optatiui forma apud Atticos, quam veteres grammatici temere putarunt etiam significatione ab altera forma differre. Equidem nescio an hic ἐλπίσει scripserit Euripides, quo ducit scholiastae adnotatio: εἰς τί ἂν ἐλπίσει δέ τις πράξειν καλῶς;

V. 803. Nihil caussae erat, quare Musgravius ἐπ' αἰσχεσι mallet. Ἐπ' αἰσχροῖς sane est *turpi conditione*, vt in Hippolyto v. 511. quem affert: sed est etiam *propter et ad turpia*, vt in Andromacha v. 1112.

ἥκων ἐπ' αἰσχροῖς.

Αἰσχρά, quae hic dicit, ad filiam Cassandram spectant.

V. 807. Σοῖσι πλευροῖς cum Valkenario ad Phoen. 62. Brunkio, Porsono, et aliquot codd. editum pro vulgato σῇσι πλευρᾷς.

V. 809. seq. Ex hoc loco expressa sunt haec Ennii apud Nonium in *modicus*.

quae tibi in concubio verecunde et modice morem gerit.

V. 811. Brunkius pro lectione omnium librorum κείνης δ' ἐγὼ edidit κείνης δὲ σύ. Recte improbatum Porsono. Χάρις decepit Brunkium, quod de Venerea voluptate intellexit. Id hic εὐναίαν significat. Similia, quae hunc et sequentes versus illustrant, vide in Opp. Gatakeri T. I. p. 73. qui in altero Plutarchi loco vocabulum σχημάτων non debebat illustrare, sed emendare. Scribendum enim esse δυσχερασμάτων, alter Plutarchi locus ostendit.

V. 818. Argutiae sunt, si quis κόμαισι, quod libri omnes et Etymologus M. p. 26. l. 54. habent, mutandum censet. Id fecit Musgrauius, κνήμαισι, quod ineptum est, aut κόραισι, Wakefieldio probatum, offerens. Vide Valkenarium ad Phoen. v. 318.

V. 823.

V. 823. Librorum omnium lectio est πάρασχε, quam barbaram vocat Brunkius, παράσχες reponens, quod recepit quidem Porsonus, sed vulgatam recte videtur quum analogiae regulis, tum simili κάτασχε in Herc. fur. 1211. defendere.

V. 825. Ennii versus sine fabulae titulo, hinc, vt videtur, expressus, exstat in lib. IV. ad Herennium cap. 12.

quidquam quisquam cuiquam, quod conueniat, neget?

V. 827. seqq. Librorum lectio, in qua iam scholiastae laborarunt, haec est:

δεινόν γε, θνητοῖς ὡς ἅπαντὰ συμπιτνεῖ,
κοὐ τὰς ἀνάγκας οἱ νόμοι διώρισαν,
φίλες τιθέντες τὰς γε πολεμιωτάτας,
ἐχθρές τε τὰς πρὶν εὐμενεῖς ποιούμενοι.

Brunkius Musgrauii coniecturam, οἱ χρόνοι, recepit: quae verba si in libris reperirentur, nemini non essent placitura. Audacior tamen mutatio est, nec magnam veri speciem habet. Quamobrem merito Porsonus vulgatam lectionem, quantumuis corruptam, seruauit. Leui mutatione facta scribendum:

δεινόν γε, θνητοῖς ὡς ἅπαντα συμπιτνεῖ,
κοὐ τὰς ἀνάγκας ἐ νόμῳ διώρισαν,
φίλες τιθέντες τὰς γε πολεμιωτάτας,
ἐχθρές τε τὰς πρὶν εὐμενεῖς ποιούμενοι.

Mirum, inquit, *quam nihil non accidat hominibus, quamque non, vt par est, necessitudines destinare soleant, qui inimicos faciant,*

ciant, vt amici, amicos, vt inimici sint. Difficiliore verborum constructione factum, vt, qui ad διώρισαν repetendum esse θνητοὶ non animaduerterent, locum, dum emendare volebant, corrumperent. Διορίζειν ἀνάγκας est *destinare necessitudines*, ita vt quis alios sibi adiungat, alios non adiungat. Confinia vtriusque significationis, quam habet verbum διορίζειν, nusquam clarius patent, quam in his, ἀριθμὸν διώρισεν, in Phoenissis v. 545. quod merito mireris Valkenario displicuisse, et in his eiusdem fabulae, v. 1433. ἐ διώρισαν κράτος.

V. 837. Videndum, ne scribendum sit Θρήκης ἄνακτι τῷδε.

V. 870. Vulgatam lectionem γενέσθαι servauit Porsonus. Eam inconsideratius absonam dicit Brunkius. Certe χρὴ aut simile quid intelligi posset. Vide Portum in lexico Dor. v. ἀπαρέμφατα. Tamen quum huius formulae, ἀλλ' ὣς γενέσθαι, tria tantum exstare videantur in Euripide exempla, quorum secundum in Iph. Taur. v. 603. tertium in Troad. v. 721. est, atque in Troadibus quidem liber Harleianus, in Iphigenia Taurica autem codices omnes γενέσθω habeant, hic quoque e membranis et Musgrauii libro P. γενέσθω cum Brunkio exhibendum putaui.

V. 892. 893. Brunkius dedit κατὰ δ' αἰθάλε κηλῖδ' οἰκτροτάταν κέχρωσαι. Porsonus, vt vulgo, κατὰ δ' αἰθάλε κηλῖδ' οἰκτροτάτα κέχρωσαι. Ac merito miratur Wakefieldius, elisionem vocalis in κηλῖδι Porsono offensioni non fuisse. Quamquam enim exstant huius elisionis minime

me obnoxia dubitationi exempla, ea tamen tam pauca sunt, vt longe maxima pars exemplorum, in quibus iota datiui elisum videtur, corrupta sit, latentibus ibi accusatiuis. Hic quidem nos etiam propterea Porsonum et Britannum censorem miramur, quod longe elegantiorem lectionem, κατὰ δ' αἰθάλῳ κηλῖδ' ἰκτροτάταν κέχρωσαι, confirmatam etiam MSS. auctoritate, non putauerint praeferendam. Eam igitur reponendam duximus.

V. 906. Ἀτέρμονες αὐγαὶ ingentem significant splendorem. Scholiastarum inepta est interpretatio. Neque opus emendatione.

V. 907. Wakefieldius, rhinocerotem se esse glorians, ἐς ὕπνον corrigit, vt tautologia vitetur. Censor Britannus ἐπιδέμνιον legendum suspicatur. Quod miror, quum ipse, allato Herc. fur. v. 1050. obseruet, εὐνὰν propemodum idem esse quod ὕπνον. Adde Aesch. Agam. v. 27.

V. 919. Wakefieldius, vehementer iratus editoribus, quod hunc locum prauissimis distinctionibus dehonestauerint, ita interpungit, vt haec, πόλιν τ' ἀποσκοπεῖσα, coniungantur cum illis: τάλαιν', ἀπείπον ἄλγει. Si hoc vellet, scribere debebat δὲ pro τέ. Caeterum fruatur sensu suo, et caueat, ne alii hac interpunctione locum dicant languidum fieri.

V. 923. Recte Brunkius e membranis Διοσκόρων. Nihil enim caussae erat, quare Διοσκούρων mallet Euripides, quod retinuit Porsonus.

V. 925. Πατρῴας mediam videtur breuem habere. Nam logaoedicus numerus aptius cum reli-

reliquorum versuum numeris conspirat. Vide ad v. 79.

V. 936. Legebatur φύρουσι δ' αὖθ' οἱ θεοί. Itane scripsisse Euripidem? Non credet, qui assuetas tragicorum numeris aures habet. Deleui articulum, qui toties ex adnotationibus librariorum male additus reperitur.

V. 949. Hic versus spurius videtur Porsono. Nec sane, si abesset, desideraretur. Vereor tamen, ne hoc magis genuinus sit, quo inconcinnior et difficilior oratio est. Certe nominatiuus hic, siue pro absoluto habeatur, siue accusatiui loco sit, habebit exempla, quibus defendatur. Vide supra ad v. 691. Recte enim Brunkius ad Sophoclis Electram v. 480. monet, in huiusmodi locis casum, qui male adhibitus videtur, a verbo regi, quod is, qui loquitur, in mente habet, licet alio verbo vtatur. Ita hic αἰδώς μ' ἔχει ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσα est αἰδέομαι ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσα.

V. 954. Destituit Wakefieldium memoria, quum τίς χρεία σ' ἐμοῦ Graecum esse dubitaret, et scribi vellet χρεία 'ς ἐμοῦ. Facile vel illud recordari poterat,

χρεὼ βιᾶς ἐμὲ καὶ σέ, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε, κερδαλέης.

Omissum in hac loquutione ἔχει. Sophocles in Philocteta v. 646.

ὅτῳ σε χρεία καὶ πόθος μάλιστ' ἔχει.

V. 974. Τῶν libri omnes. Sed in duobus locis Eustathii, ad Iliad. X. p. 792. l. 19. et

ad

ad XXIII. p. 1312. l. 20. Porsonus τῷ legi adnotauit.

V. 976. Ex Aldina et Monachiana ἃ pro ᾗ dedimus, vti v. sequente ταῦτα cum Brunkio e membranis pro τᾶτο.

V. 991. Quum vulgo olim legeretur, πέπλων ἐντὸς, ἢ κρύψασ' ἔχεις; Valkenarius ad Phoenissas v. 712. veram lectionem restituit, πέπλων ἐντὸς ἢ κρύψασ' ἔχεις; Jacobsius in Exercitatt. p. 20. πέπλων ἐν σολῇ κρύψασ' ἔχεις; Ἢ sic non in principio, sed post aliquot verba collocatum etiam infra occurrit v. 1257.

μορφῆς ἐπωδὸν ἤ τι τῆς ἐμῆς ἑρᾶς;

Et apud Sophoclem in Aiace v. 179. vbi male librorum lectionem ἤ τιν' in ἥντιν' ab Iohnsono mutatam recepit Brunkius. Scribendum:

ἢ χαλκοθώρακ ἤ τιν' Ἐνυάλιος
μομφὰν ἔχων ξυνᾶ δορὸς ἐννυχίοις
μαχαναῖς ἐτίσατο λώβαν.

Male etiam ibi interpungitur post δορός. Mars enim a Troianorum partibus steterat. Iungenda haec sunt, μαχαναῖ ξυνᾶ δορός.

V. 1002. Brunkius ἐς deleuit imperitissime. Illud recte dicit, versus esse asynartetos e dochmiacis, sed eorum quale metrum esset, non magis perspectum habuit, quam ineptus iste metrorum omnium perditor Heathius. Quod Porsonus coniecit πεσὼν pro ἐμπεσών, quod libri habent, recipere debebat, metro flagitante. Mox eamdem ob caussam βίον pro βίοτον, θεοῖσιν pro θεοῖς et semel ἐλέθριον, quod bis legeba-

gebatur, scripsimus. Caeterum male Brunkius illa ἐκπέσῃ φίλας καρδίας, ἀμέρσας βίον, sic interpretatur, *tua ipse anima excides, qui vita priuasti, Polydorum scilicet.* Nam qui ἐκπέσῃ ad Polymestorem pertinere potest, quod neque possit futurum esse, nec, si coniunctiuus aoristi est, *excides* significabit, aut, vt Heathio placuit, *excidas.* Pendet illud ex particula ὡς. Hoc enim poeta dicit: *punieris, vt qui maris vortice haustus vita excedens anima destituitur.* Scilicet Brunkius, ἀμέρδω, inquit, *semper est transitiuum.* Eiusque qui sequitur explicationem, Iacobsius, in Animadu. ad Eurip. p. 8. etiam βιότου scribendum putat, quia, vbi ἀμέρδειν occurrat, ibi etiam genitiuus addatur eius rei, qua quis priuetur. Neutrius obseruatio ad rem attinet, Iacobsii ne vera quidem est. Iliad. XVI. 53.

ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι.

Sane ἀμέρσας βίον non est ἀμερθεὶς βίᾳ, sed *vitam suam perdens, corrumpens.* Odyss. XIX. v. 17.

ὄφρα κεν ἐς θάλαμον καταδείομαι ἔντεα πατρός,
καλά, τά μοι κατὰ οἶκον ἀκηδέα κάπνὶς ἀμέρδει.

Iliad. XIII. v. 340.

ἔσσε δ' ἄμερδεν
αὐγὴ χαλκείη κορύθων ἄπο λαμπομενάων.

Sic etiam Hesiodus in Theogon. v. 697. Alia exempla huius verbi cum accusatiuo coniuncti bene multa vide in Misc. Obss. vol. II. p. 204. seq.

seq. Eorum vnum nostro loco simillimum hic adscribam, Oppiani in Cyneg. I. v. 268.

ὀξὰ συνηλείησαν, ἐὸν δ' ἀπὸ φέγγος ἄμερσαν
αὐτοφόνοι.

In scholiis Homeri Venetis quae de hoc verbo disputantur ad Iliad. XIII. v. 340. et ab Eustathio ad eumdem locum pag. 936. l. 5. et ad Odyss. VIII. p. 1585. l. vlt. et ad XIX. p. 1853. l. 27. tum de σμερδαλέος aliisque cognatis vocabulis ad Iliad. II. p. 228. l. 22. seqq. vehementer inepta sunt. Vera habet Etymologus M. p. 82. l. 1. et p. 721. l. 3. Ἀμέρδειν enim ex μέρος factum est, et proprie significat *parte aliqua priuare*, inde omnino *detrahere, perdere*. Hesychius: ἄμερδεν, ἠμαύρωσε, ἔβλαπτεν. Posterior explicatio vera est. Idem, ἀμέρσαι, ἀποξερῆσαι, συλῆσαι. Idem, ἀμερσίφρων, βλαβερός. Idem, μέρδει, κωλύει, βλάπτει. Indidem natum σμερδνὸς et σμερδαλέος, quod proprie de voce arguta et penetrabili dicitur, vnde illa, σμερδνὸν βοόων, σμερδαλέα ἴαχον, σμερδαλέον δ' ἐβόησε, σμερδαλέον κονάβησαν; deinde de quauis re similiter animum afficiente adhibetur.

V. 1008. Legebatur θανάσιμον πρὸς Ἀΐδαν, numeris pessimis, quippe vltima syllaba verbi Ἀΐδαν (sic enim scribendum foret, ac tum ὦ ὦ τάλας,) in anacrusin sequentis dochmii incidente. Quod in longa syllaba durissimum est. Veram lectionem monstrant tum codd. quorumdam lectio ἰὼ ἰώ, tum quod MS. Mosc. C. αἶδα habet, quae lectio inter lineas adnotata est in Moscou. D. Nimirum delenda erat praepositio πρός, sicut supra v. 912. viri docti ἐς dele-

deleuerunt, restituendusque datiuus Ἀιδᾳ. In Oreste v. 1533.

ὦ γὰρ Ἀργείοις ἐπάξεις τοῖσδε δώμασιν λαβών.

V. 1019. Ennius in Hecuba apud Nonium in *gratulor* p. 116.

Iuppiter, tibi, sume, tandem male re gesta gratulor.

Nihil simile in Euripide. Sed videtur hic versus hoc in loco adhibitus fuisse ab Ennio, vbi Hecuba *re male gesta*, i. e. orbata liberis, tamen propter vindictam a Polymestore sumptam Ioui gratias agit. Nec tamen magnopere repugnauerim, si quis malit e v. 587. expressum esse:

τὸ δ' αὖ λίαν παρεῖλες, ἀγγελθεῖσά μοι γενναῖος.

Quamquam quum statim ibi apud Ennium iambici versus sequantur, parum veri similis coniectura est, nisi quis nomen *Iuppiter* in fine trimetri, qui quidem locus non satis aptus videtur, collocatum fuisse existimet.

V. 1022. Vulgo legitur, ἦ γὰρ καθεῖλες Θρῃκίαν, καὶ κρατεῖς ξένης. Propter quod furibundus in editores Euripidis inuehitur Wakefieldius, et legendum contendit,

ἦ γὰρ καθεῖλες τέκνα, καὶ κρατεῖς ξένης;

Gratiam sane habemus viro acuto, quod vulgatam lectionem non esse commodam sensit. Quin coniectura eius quodammodo firmatur lectionibus duorum codd. Moscouiensium, in quorum

quorum altero Θρῆκα plane omissum, in altero autem θρῆκας scriptum est, quasi si, quidquid hoc est vocabuli, veteris lacunae explendae caussa ab librariis adiectum esset. Verumtamen vellem paullisper continuisset iram suam Wakefieldius,

nec solem geminum aut duplices se ostendere Thebas

vidisset. Nam quid tandem caussae erat, quare de liberis Polymestoris chorus magis et prius, quam de ipso Hecubam interrogaret? Certe si ipso Polymestore potita esset, liberos eius necare minima pars laboris erat. De hoc igitur ante omnia interrogari debebat, liberorum autem postea et negligentius mentio fieri. Et sic etiam responsio Hecubae comparata est. Praeterea vero, postquam chorus interrogauit, ἦ γὰρ καθεῖλες τέκνα, quorsum deinde addit, καὶ δέδρακας οἷά περ λέγεις? Enimuero yna litterula mutata restituendum hunc locum intellexisset, ni solito furore se passus esset abripi. Scribendum enim:

ἦ γὰρ καθεῖλες Θρῆκα καὶ κρατεῖς ξένον;

Κρατεῖς, *vicisti*. Sic in Alcestide v. 493.

τί δ' ἂν κρατήσας δεσπότην πλέον λάβοις;

V. 1030. Vulgo θυμῷ ἑέοντι. Vnde Canterus θυμορρέοντι scribendum putat. Lectionem θυμῷ ζέοντι, a Barnesio commemoratam, quum Porsonus in cod. Harl. inuenisset, recepit: idque recte videtur praetulisse eleganti alioqui coniecturae Ruhnkenii in ep. crit. II. pag. 224. θυμὸν ζέοντι.

V. 1031.

V. 1031. Sequitur locus foede corruptus. Carmen antistrophicum est, ita quidem, vt systema systemati respondeat, non versus versui, nisi in vltimo systemate, quod ἀπολελυμένον est. In strophicis haec sunt systemata: primum anapaesticum, v. 1031. 1032. secundum dochmiacum, v. 1033. 1034. tertium anapaesticum, v. 1035-1037. quartum dochmiacum, v. 1038. 1039. quintum anapaesticum, v. 1040. 1041. sextum dochmiacum, v. 1042. septimum ex anapaestico logaoedico et dochmiaco, v. 1043. 1044. In antistrophicis autem haec systemata sunt: primum anapaesticum, v. 1045-1048. secundum dochmiacum, v. 1049-1051. tertium anapaesticum, v. 1052. 1053. quartum dochmiacum, v. 1054. 1055. quintum anapaesticum, v. 1056. sextum dochmiacum, v. 1057. 1058. septimum ex anapaestico logaoedico et dochmiaco, v. 1059. 1060.

V. 1031. Legebatur ὦ μοι ἐγώ. Moì metro iubente duplicandum fuit.

V. 1032. Molestus est Wakefieldius hic et alibi πῇ ϛῶ obtrudens. Vulgatam lectionem tuetur censor Britannus auctoritate Etymol. M. p. 669. l. 10. scholiastae Eurip. ad Hecub. vers. 1075. et schol. Aristoph. ad Plut. v. 447. nostrum locum afferentis, qui omnes πῇ etiam ἐπὶ στάσεως dici obseruant. Falluntur, verbo ϛῶ decepti. Nec quidquam huiusmodi habent Ammonius p. 112. et Thomas M. in ὅποι p. 652. et Eustathius ad Odyss. X. p. 1664. l. 8. laudati a Britanno censore. Πᾷ ϛῶ est *quo accidam?* In Oreste v. 1251.

στῆθ'

στῆθ' οἳ μὲν ὑμῶν τήνδ' ἁμαξήρη τρίβον,
οἳ δ' ἐνθάδ' ἄλλον οἶμον, ἐς Φρυγῶν δόμων.

Id Germani dicunt *treten*, eodemque, vt Graeci, modo construunt. Significat enim *consistere in eo loco, in quem accesseris.* Caeterum πᾷ scribi addito iota auctor est Eustathius p. 174. l. 1.

V. 1034. Legebatur τιθέμενος ἐπὶ χεῖρα, κατ' ἴχνος. Praeclaram Porsoni coniecturam, κοὐ κατ' ἴχνος, hoc minus dubitauimus recipere, quod eam metrum efflagitat. Per ἴχνος enim *pedem* simpliciter significari ostendit, allato e Bacchis v. 1122. et e Catulli epithal. Pel. et Thet. v. 162. Ac saepissime ἴχνος pro *pede* vsurpat Euripides.

V. 1035. Ὁδὸν e cod. Moscou. A. metro iubente addidimus.

V. 1038. Αἳ αἵ addidi, postulante versu dochmiaco. Absorptum erat ab sequente αἵ.

V. 1039. Metri lege iubente τάλαιναι κόραι, τάλαιναι, Φρυγῶν, scripsi. Legebatur: τάλαιναι, τάλαιναι κόραι Φρυγῶν. Nemo non videt nostram lectionem etiam absque metri emendatione elegantiorem esse.

V. 1040. 1041. Interpunctio docet, primum versum monometrum, alterum dimetrum esse debere, non, vt vulgo, primum dimetrum, alterum monometrum. Mansit error in nostra editione.

V. 1042.

V. 1042. Hic versus asynartetus ex dochmiacis est, quod moneo ne quis haereat in secundo dochmio,

αἱματόεν βλέφαρον,

qui numerum habet trochaicum, ita vt anacrusin sequantur anapaestus et tribrachus, trochaeorum vicem sustinentes. Perrarum hoc genus dochmiorum est, quod in posteriore sede pedem trisyllabum habet, si in priore anapaestus aut spondeus est. Nam etsi per numeri leges recte hoc fit, habet tamen aliquid difficultatis, quia versus ita incipit, ac si purum seruaturus esset numerum antispasticum, quo in casu sequi deberet iambus. Res illustrabitur comparatione metri in vtraque dochmiacorum forma: et ictu numeri in verbis notato.



αἰ | μάτοεν | βλέφαρον



αἱμάτο | ἐν ∪ —

Quare videndum ne scripserit Euripides αἱματόεν βλέμμα, vt versus easdem prorsus syllabas haberet, quas habet antistrophicus.

V. 1045. Σίγα bis exhibuimus, Aldi auctoritate, quam sequitur editio Monachiana. Codd. omit-

omittunt alterum *οἴγε*, quibus obsequuti sunt Brunkius et Porsonus, *ὦ ὦ* epiphonema extra versum esse censentes. Non repugno, si in stropha v. 1031. legatur *ὤ μοι*, omisso *ἐγώ*. Nam epiphonemata quoque in carminibus antistrophicis sibi respondent.

V. 1051. Legebatur *ἰὼ τάλας*.

V. 1053. Male etiam recentissimi editores *διαμοιρώσας* scripsere, tamquam si penultima breuis esset.

V. 1054. Legebatur, *σφακτὰν νυσί τε φοινίαν δαῖτ' ἀνήμερον, ὀρείαν τ' ἐκβολάν*. Porsonus *νυσὶν τε* edidit cum Brunkio, qui in omni hoc loco membranas sequutus est. Praeterea Aldina aliaeque edd. *ὀρείαν* habent, et codex Moscou. C. *φοινίαν*. Versus, vt strophici, debent dochmiaci esse. Eos ita restituendos putaui:

σφακτὰν τε δαῖτα νυσί τε φοινίαν
ὀρείαν ἀνήμερόν τ' ἐκβολάν.

Primum *τε* videntur scholiastae habuisse. Ordo verborum turbatus fuit interpretum adnotationibus, indicantium, quo quaeque epitheta referenda essent. Sed quum etiam alio verborum ordine reduci dochmiaci queant, explicandum est, quare hunc praetulerim. Propius ad vulgatam lectionem accederet hoc:

σφακτὰν νυσί τε φοινίαν δαῖτα, καὶ
ὀρείαν ἀνήμερόν τ' ἐκβολάν.

Καὶ quidem saepius excidit. Vid. ad v. 81. At versus dochmiaci, quamquam, vt asynarteti, hiatum

tum quibusdam conditionibus admittunt, non minus tamen adspernabuntur καί in fine versus ante vocalem, quam anapaesti. Quare quod Brunkius in extremis Trachiniis edidit:

πολλὰ δὲ πήματα καινοπαθῆ· καὶ
ἐδὲν τέτων, ὅ τι μὴ Ζεύς,

manifeste vitiosum est. Scribendum:

πολλὰ δὲ πήματα καὶ καινοπαθῆ
κἐδὲν τέτων, ὅ τι μὴ Ζεύς.

Notissima formula. Aeschylus in Agam. v. 63.

πολλὰ παλαίσματα καὶ γυιοβαρῆ.

Eamdem loquutionem male oblitterauit Brunkius in Sept. ad Theb. v. 341. Deinde autem ne quis forte rectius scribi putet in Euripide:

καὶ κυσὶ Φοινίαν,

vel,

καὶ Φοινίαν κυσὶν
ἀνήμερόν τ' ὀρείαν ἐκβολάν,

primum hoc obseruati debet, datiuos sine N paragogico in versibus dochmiacis vltimam ictu acutam habere posse, quod, nisi fallor, in iambicis trochaicisque et quibusdam aliis metris non solet fieri. Quin ne in dochmiacis quidem factum memini, nisi in prima arsi, vbi purus est antispasticus numerus. Aeschylus in Sept. ad Theb. v. 484.

ἰώ, πρόμαχ' ἐμῶν δόμων, τοῖσι δὲ δυστυχεῖν.

In altero autem versu vocabulum ὀρείαν male habiturum esset primam syllabam in thesi, et secun-

secundam in anacrusi, quod quidem paullo melius ferri posset, si ὀρείαν scriberetur. Vide commentationem nostram de metris Pindari part. I. cap. 4. et quae germanice de metris scripsi lib. III. cap. 4. maximeque §. 447. Hanc numerorum asperitatem si quis hoc ordine verborum tolli vellet,

ἀνήμερόν τ' ἐκβολὰν ὀρείαν,

illud merito reprehendi posset, quod in coniunctione duorum epithetorum illud epitheton non obtineret primum locum, quod non ornatus caussa, sed ad ipsam substantiui naturam definiendam additum est. His ergo omnibus coniecturis recepta lectio praeferenda videtur, idque hoc magis, quo similiores numeros strophicis numeris habet.

V. 1056. Hic quoque mutauimus ordinem verborum, in qua re non dubitamus, quin assentientes habituri simus omnes, qui versus poetarum veterum non surdis auribus legere solent. In librorum enim lectione,

πᾶ ϛῶ, πᾶ κάμψω, πᾶ βῶ;

molestissimum est postremum πᾶ in arsi collocatum ictuque acutum, quum priora duo in thesi, vt solet, lateant. Aut omnia in arsi esse debebant, aut nullum. Multa huiuscemodi in Terentio summus Bentleius correxit. Caeterum etiam quae sequuntur, ναῦς ὅπως ποντίοις πάσμασι λινόκροκον φάρος ϛέλλων, (sic enim in libris omnibus est) vitiosa esse metrum arguit. Sed antequam de emendatione agatur, de sensu videndum est, quem minime perceperunt

 inter-

interpretes. Πᾶ κάμψω non significat, *quaflectam iter? quo accedam?* sed, *quo in loco consistam?* Nam sicut κάμπτειν γόνυ, vel κῶλα, quiescere significat, de qua re videndus Hesychius in γόνυ κάμψαι, et Brunkius ad Aeschyli Prometheum v. 32. et ad Sophoclis Oedipum Coloneum v. 19. ita κάμπτειν simpliciter adhibitum, etiam si quis non in aliquo loco, sed ad aliquem locum κάμπτειν dicatur, est, *postquam quis accesserit, considere.* Sic apud Sophoclem in Oedipo Colon. v. 84.

ὦ πότνιαι δεινῶπες, εὖτε νῦν ἕδρας
πρώτων ἕφ' ὑμῶν τῆσδε γῆς ἕκαμψ' ἐγώ.

vbi male vulgo ἑφ' est sine accentu. Haec si vera sunt, non solum intelligitur etiam ad sensum melius πᾶ βῶ, πᾶ κάμψω, quam πᾶ κάμψω, πᾶ βῶ, legi, sed patet etiam totius loci hanc esse sententiam: *vbinam tandem consistam, pedemque figam, inuento liberorum meorum funesto cubili?* Itaque φάρος στέλλων non poterit, vt vulgo vertunt, significare *velum mittens*, sed plane contrarium dici debebit. Quin omnino tantum abest vt φάρος, λαῖφος, ἱστία στέλλειν *pandere vela* sit, vt *contrahere vela* significet. Deinde πείσματα coniungunt interpretes cum στέλλων, quia πεισμάτων, quae proprie dicuntur, si de expansis velis hic agitur, nullus vsus est. Immo vero post πείσματα commate distinguendum est, quia de more ii funes intelligendi sunt, quibus nauis in littore alligatur. Illa deinde, λινόκροκον φάρος στέλλων, per se constant. Sed patet ad versum integrandum aliquid deesse. Id vero facile poterit restitui. Scribendum enim ὑποστέλλων, eiusdem

dem significationis vocabulum, e quo praepositio excidit, quam in multis verbis librarios omisisse passim obseruare licet. Vide supra ad v. 185. Ὑποςέλλειν ἱςίον dixit Pindarus Isthm. II. 58.

οὐδέ ποτε ξενίαν
οὖρος ἐμπνεύσαις ὑπέςειλ'
ἱςίον ἀμφὶ τράπεζαν.

Sed haec verba minime aptum sensum praebent. Nam vbi ventus secundus inflat vela, quis ea tum contrahat? aut quum contrahuntur, quis tam stultus sit, vt hoc fieri dicat propter secundum ventum? Quod si quis forte censeat, οὖρος ἐμπνεύσας οὐχ ὑπέςειλεν ἱςίον idem esse quod ἐνέπλησεν, is nihil aget, nisi vt subtilitate grammaticis omnia explicantibus digna sensum huius loci, non orationem, excuset. Veram lectionem facile licet e scholiis eruere. Scribendum:

οὐδέ ποτε ξενίαν
οὔριος πνεύσαις ὑπέςειλ'
ἱςίον ἀμφὶ τράπεζαν.

Οὔριος πνεύσαις de Xenocrate, quem isto carmine celebrat Pindarus, dicitur, et *largum* ac *munificum* significat. Inde more suo poeta ad aliam metaphoram transit, eumque vela non contrahere narrat. Ὑποςέλλειν etiam Christodoro restituendum puto in Brunkii analectis T. II. p. 461. vbi v. 138. haec leguntur:

ἐγγύθι δ' αὐτοῦ
Παλλάδος ἀρήτειρα παρίςατο παρθένος Αὔγη,
φᾶρος ἐπιςείλασα κατωμαδόν.

V. 1064.

V. 1064. Hinc quae sequuntur, epodi instar sunt. Metra vulgo male habita. Dochmiaci sunt versus 1064 - 1068. iambicus trimeter v. 1069. iambicus dimeter catalecticus v. 1070. acatalecticus v. 1071. dochmiacus v. 1072. trochaicus dimeter v. 1073. paeonici v. 1074-1076. quorum priores duo dimetri acatalectici sunt, tertius catalecticus; anapaesticus dimeter v. 1077. anapaesticus logaoedicus, adiectum in fine spondeum habens, v. 1078. antispasticus monometer v. 1079. dochmiacus denique v. 1080.

V. 1064. Λογχηφόρον metri caussa e MS. Moscou. B. receptum. Vulgo λογχοφόρον.

V. 1067. Vulgo βοᾶν, βοᾶν αὐτῶ, βοᾶν. Primum βοᾶν metri caussa deleui. Mox ὦ ἴτε est e cod. Moscou. C. Vulgo ἴτε ἴτε, omisso ὦ. Brunkius et Porsonus ἴτε, sine ὦ, semel ediderunt, vt in membranis Reg. est et codd. Moscou. A. D.

V. 1072. Legebatur δεινά, δεινὰ πεπόνθαμεν. Metri caussa alterum δεινὰ deletum.

V. 1074. Legebatur vulgo, αἰθέρ' ἀμπτάμενος. Cod. Moscou. B. αἰθέρα ἀναπτόμενος, ἀπτάμενος. Codd. A. D. ἀναπτάμενος. Versus sunt paeonici dimetri duo acatalectici et vnus catalecticus. Id igitur metrum pedem paeonem requirit, quem sic restituimus,

αἰθέρι ἀναπτάμενος.

Sane αἰθέρ' ἀμπτάμενος dicit in Oreste v. 1376. et πρὸς αἰθέρα ἀμπτάμενος in Iphigenia Taur. v. 843. sed sicut scribere poterat,

αἰθέριος

αἰθέριος ἀμπτάμενος,

vt in Medea v. 441.

αἰθερίαι δ' ἀνέπταν,

ita lenissima nostra correctio habet, quo defendatur, simile exemplum in Troadibus v. 519. vbi equum Troianum vocat ἐρέμνιαν βρέμοντα. Sophocles in Oed. Col. v. 1466.

ἔπτηξα θυμόν· ἐρέμνια γὰρ ἀστραπὴ
φλέγει πάλιν.

Sic ibi scribendum pro ἐρανία. Caeterum hinc fortasse sumpsit Ennius

caeli ingentes fornices,

quae verba non adiecto fabulae indice afferunt Varro de L. L. IV. pag. 9. et Cicero de Orat. III. 40.

V. 1076. Ὠρίων media breui occurrit etiam in Cyclope v. 212. in Ione v. 1153.

V. 1080. Pro αἴξω hic, vt alibi, scribendum erat ἄξω.

V. 1087. Pro παρέσχεν, quod libri omnes habent, Brunkius et Porsonus ex Heathii Marklandique sententia παρέσχ' ἄν reposuere. Nos librorum auctoritatem, quam legem grammaticorum, non sane vbique custoditam, sequi maluimus. Ἄν recte omitti posse demonstrauimus ad Aristophanis Nubes v. 1344. In hac particula praeter necessitatem addenda saepius peccauit Brunkius, vt in Sophoclis Oedipo Rege v. 1386.

ἀλλ

ἀλλ' εἰ τῆς ἀνεσχόμην ἔτ' ἦν
πηγῆς δι' ὤτων ῥεαγμός, οὐκ ἠνεσχόμην
τὸ μὴ 'κκλεῖσαι τἀμὸν ἄθλιον δέμας,

vbi vulgatam lectionem ἀνεσχόμην in ἂν ἐσχόμην mutauit. Et in Electra v. 913.

ἀλλ' οὐδὲ μὴν δὴ μητρὸς ἔθ' ὁ νοῦς φιλεῖ
τοιαῦτα πράσσειν, ὅτε δρῶσ' ἐλάνθανεν.

Ibi ἐλάνθαν' ἄν e coniectura reposuit, quod valde ab Sophoclis elegantia abhorrere aures arguunt. Vt Graeci indicatiuum sine particula ἄν adhibent, ita ab Latinis etiam et Germanis indicatiuum pro coniunctiuo poni constat.

V. 1120. Λόγῳ et mox ἐν Ἰλίῳ maior pars MSS. Sed vulgo cum scholiaste δόλῳ legitur, et ὑπ' Ἰλίῳ.

V. 1130. Δίπτυχον στόλισμα, pallium et hasta. In Suppl. v. 659.

αὐτὸν δὲ Παίραλον ἐστολισμένον δορί.

V. 1133. Porsonus e duobus codd. recepit γένοιτο, quod paullo melius dicit esse, quam quod caeteri libri habent, γένοιντο. Non intelligo, quid velit. Paullo peius est γένοιτο, vt magis vulgare.

V. 1153. Vulgo ἢ νῦν λέγων ἔξιν τις ἢ μέλλει λέγειν. Brunkius e membranis dedit, ἢ νῦν λέγων τις ἔξιν, ἢ μέλλει λέγειν. Porsonus ex Stobaeo p. 308. ἢ νῦν λέγει τις, ἢ πάλιν μέλλει λέγειν. Veram lectionem vidisse Wakefieldium, ἢ νῦν λέγων ἔξ', ἢ πάλιν μέλλει λέγειν, vel incerta sedes pronominis τὶς indicat. Censor Britannus tamen, qui ita vbique cum Porsono consentit,

sentit, vt ipse Porsonus non possit magis, hoc improbat, quia λέγει magis conueniat sermoni tragicorum, quam λέγων ἐστίν. Eius argumenti plane contraria vis est. Nam quum absque illa parte orationis, quae verbum vocatur, ne loqui quidem quisquam possit, quis miretur, si e singulis millibus verborum vix vnius occurrat participium cum verbo εἶναι coniunctum? Si hanc periphrasin iure improbare vellet, nusquam apud tragicos occurrere demonstratum oportebat. Atqui sic illi saepe, vt Aeschylus in Suppl. v. 476.

λέξω, τίν' αὐδὴν τήνδε γηρυθεῖσ' ἔσει.

Sophocles in Philocteta v. 371. ἦν κυρῶν. v. 773. κτείνας γένη. v. 975. εἰ μεθείς. v. 1365. εἰ ξυμμαχήσων. In Oed. Rege v. 1285. ἔστ' ἀπόν. In Aiace v. 588. προδὰς γένη. v. 1062. ἐστὶ στένων. v. 1329. κλύοντές ἐσμεν. Supra in Hecuba v. 117. ἦν σπεύδων. v. 575. εἶ δώσων. v. 658. εἶ βλέπουσα. Illud vero Wakefieldius ipse viderit, vt multos assentientes habeat in eo, quod Porsonum aliosque longe aberrasse ab sensu huius loci putat, qui illa, γένος γάρ, et quae sequuntur, ea ipsa esse censeant, quae dicturum se aduersus mulieres spoponderat Polymestor, non, vt ipsi videtur, caussam continere, quare alio fortasse tempore conuiciis mulieres oneraturus sit.

V. 1139. Libri omnes et Stobaeus p. 289. πολλαὶ γὰρ ἡμῶν, αἱ μὲν εἰσ' ἐπίφθονοι, αἱ δ' εἰς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν. Brunkius Musgrauii emendationem ἐδὲν εἰσ' ἐπίφθονοι recepit. Porsonus suspicatur hunc versum sanum esse, in

in sequente autem cum Reiskio corrigendum τῶν καλῶν. Verum exemplis erat confirmandum vocabulum καλὸς de mulieribus sic adhibitum, quas facilius quis pulcras, quam bonas, indicari credat. Beckius emendauit αἱ μὲν ἐκ ἐπίφθονοι. Non fecisset, si reputasset, plane contrariam sententiam hic requiri. Neque enim hoc dicere potest chorus, quasdam sane mulieres bonas, quasdam autem malas esse, sed hoc debebit contendere, quasdam sane malas esse, sed non omnes. Hinc non potest dubitari, quin prioris versus sana lectio sit, corruptioque lateat in altero. Eam certissima emendatione expulimus,

αἱ δ' ἐκ ἐς ἀριθμὸν τῶν κακῶν πεφύκαμεν.

V. 1161. Quae hinc incipit Hecubae oratio, ad eam fortasse pertinuit Ennii versus a Cicerone non indicato fabulae titulo commemoratus in lib. III. de Orat. c. 38. et in Oratore c. 49.

num non vis huius me versutiloquas malitias.

Et fortasse alius etiam in lib. III. de Orat. c. 39. seruatus,

quandoquidem iste circumuestit dictis, sepit sedulo.

V. 1168. Aldina, Monachiana et plerique codd. κακῶς δ' ἀπώλοντο, κἄστις ἐξήλυξέ πω. Vulgatae edd. κακῶς δ' ἀπόλοντο, κἄστις. Vnus Kingii K., sed is valde recens codex ἀπώλοντ' ἄστις. Idque Kingius, Musgrauius, Brunkius, Porsonus

nus recepere. Brunkius tamen mauult, *κακῶς δ' ὄλοντο, κἄτις.* Nobis idem in hoc versu vitium inesse videtur, quod in praecedente versu sustulit Valkenarius ad Hippol. v. 294. pro *δύναντας* ex cod. Leidensi *δύναιντ' ἄν*, a Brunkio quoque et Porsono receptum, legens. Scilicet hic quoque, mutato indicatiuo *ἀπώλοντο*, qui ex interpretum adnotatione natus est, scribendum,

κακῶς δ' ὄλοιντ' ἄν· κἄτις ἐξήλυξέ πω.

V. 1082. Brunkius et Porsonus *ηὐτύχει* scripsere. Vulgo *εὐτύχει*. Vide ad v. 18.

V. 1189. Porsonus cum Aldina edidit *καπνῷ δ' ἐσήμαιν'*. Vulgo *καπνὸς δ' ἐσήμαν'*. Lectionem membran. Reg. codicis Brunkiani, MSS. quatuor Moscou. *καπνῷ δ' ἐσήμην'* probandam putat Brunkius: hunc enim sensum esse: *ἄϛυ δὲ τῷ καπνῷ ἐσήμηνεν ὑπὸ πολεμίων ἅν*. At tum participium *ἄν* adiiciendum foret, quod versum priuat elegantia,

καπνῷ δ' ἐσήμην' ἄϛυ πολεμίων ὕπ' ἄν.

Sed nihil opus est ista mutatione, si modo longe simplicius locum sic interpretemur: *cur hospitem tum demum necasti, quum nos occidissemus, eamque remvrbs ab hostibus incensa fumo prodidisset.* Porsonus, ni fallor, propterea imperfectum praetulit, quod sentiret particulae *ἡνίκα* propria esse tempora relatiua, cuiusmodi sunt imperfectum et plusquamperfectum. Id vero nihil obstat, quo minus hic aoristum, plerorumque librorum auctoritate firma-

firmatum, adsciscamus: quippe plusquamperfecti ille hic significationem habet.

V. 1192. Prorsus putida est prosaica librorum lectio, ἅπερ ἤσθα τοῖς Ἀχαιοῖσιν φίλος. Hic quoque articulus genuinam vocem ὄντως expulit. In Archelai fragm. XXV.

μισῶ γὰρ ὄντως, οἵτινες φρονεῖσι μέν,
φρονεῖσι δ' ἐδέν, πλήν γε χρημάτων ὕπερ.

Sic scribendum. Sophocles in Antigona v. 98.

τῦτο δ' ἴσθ' ὅτι
ἄνες μὲν ἔρχει, τοῖς φίλοις δ' ὀρθῶς φίλη.

Vide Markland. ad Iph. Taur. v. 610.

V. 1198. Porsonus ex MS. Reg. Soc. affert, καὶ μὴν τρέφων μὲν παῖδά γ', ὡς σ' ἐχρῆν τρέφειν. *Non male*, inquit, *si alii consentirent.* Sed quid sibi vult γέ? Certe παῖδ', ὅπως σ' ἐχρῆν scribendum esset. Praestat vero vulgata.

V. 1200. Idem codex Reg. Soc. σαφέστεροι, quod nescio an sit praeferendum. Nihil difficilius est, quam in tanta comparatiuorum et superlatiuorum permutatione, quae vbique occurrit, alterutrum optare.

V. 1212. Valkenarius quum ad Phoenissas v. 207. putaret legi posse τἄχρησα, non meminerat haec verba spectare ad illa, quae supra dixerat Hecuba v. 1165. seqq.

V. 1221. Manifeste ex hoc versu expressa sunt illa Ennii:

sed numquam scripstis, qui parentem aut hospitem
necas-

necasset, quo quis cruciatu perbiteret.

quod fugit Columnam. Affert ex Hecuba Ennii Nonius in *perbitere* pag. 153. apud quem male *scripsistis quis* legitur. *Qui* iam emendauit Iacob. Gothofredus in notis ad XII. tabb. in Ottonis Thesauro vol. III. p. 178.

V. 1223. Porsonus cum vulgatis μὴ ἀδικεῖν edidit, quod recte Brunkius in μὴ 'δικεῖν mutarat, quamquam is vulgatam scribendi rationem defendit ad Soph. Philoct. v. 782. Aeschylus in Eumenidibus v. 86.

ἄναξ Ἄπολλον, οἶσθα μὲν τὸ μὴ 'δικεῖν.

v. 688.

φόβος τε συγγενὴς τὸ μὴ 'δικεῖν
σχήσει κατ' ἦμαρ κοὐ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς.

v. 746.

τὸ μὴ 'δικεῖν σέβοντες ἐν διαιρέσει.

V. 1228. Non Beckius tantum, quem commemorat Porsonus, sed multae edd. hunc versum Hecubae tribuunt. Aliae, quas Brunkius et Porsonus sequuti sunt, Agamemnoni assignant. Anceps iudicium est. Malui tamen Hecubae versum adscribere, quam Agamemnoni. Agamemnonis enim si verba sunt, neque aliud quidquam dicet, quam quod paullo ante dixerat, neque, quare haec addat, satis grauem caussam habebit. Regem semel dixisse se tentiam satis est. Hecuba autem vt responderet ista, satis excitabatur graui reprehensione Polymestoris, seruilem conditionem, contemptu dignam, ei exprobrantis.

V. 1230.

V. 1230. Membr. et vnus Mosc. vt vulgo, ἀλγεῖς; τί δή με παιδός. Alii cum tribus Mosc. τί δεή με. Alii ediderunt, τί δέ με τῦ παιδός. Brunkii codex τί δ' ἐμέ; ipse τί δή με edidit. Veram haud dubie lectionem reposuit Porsonus, τί δ' ἡμᾶς; Neque enim μὲ encliticum hic locum habet.

V. 1244. Libri omnes, θανεῖσα δ' ἢ ζῶσ' ἐνθάδ' ἐκπλήσω βίον. Postrema verba cum θανεῖσα coniuncta ridiculi aliquid habere, cum ζῶσα, tautologici, censet Musgrauius; ob eamque caussam πότμον legendum coniicit. Ista enim verba etiam apud Sophoclem in Antigona v. 83. permutari. Brunkius μόρον, nihil monito lectore, edidit, quae etiam Iacobsii coniectura est in animadu. in Eurip. p. 9. Porsonus nihil mutauit, quamquam βίον manifesto mendosum pronunciat. Wakefieldius inconsiderate scholiastarum interpretationem arripuit, quae duplici laborat vitio. Sensum enim hunc esse putant, vt Wakefieldii verbis vtar, *aeuum vero huiusce conditionis an morte expletura sum, an vita?* quae ipse quum sentiret Graecis obscuriora esse, haec addidit: *i. e. formane canina me viuentem relictura est ante supremum diem, an canis moriar?* Sed primum verba, ἐνθάδε ἐκπλήσω βίον, numquam significabunt τὸν ἐνθάδε βίον ἐκπλήσω, vt volunt scholiastae; deinde, vt hoc significare possint, quomodo ὁ ἐνθάδε βίος erit vita, quam quis forma canina indutus agat? Mihi quidem neque hic sensus in hoc versu inesse, neque vero quidquam mutandum videtur. Ἐνθάδε spectat ad eum locum, vbi se praecipitem in mare

Hecuba

Hecuba datura sit, sensusque hic videtur esse, *moriarne ibi, an viuam?* Ἐκπλῆσαι βίον non est *viuere* simpliciter, sed *ad vitae finem peruenire.* Nunc si ἐνθάδε non coniungatur cum his, ἐκπλήσω βίον, sed cum illis, θανοῦσα ἢ ζῶσα, nihil remanet, in quo quis possit offendere. Hoc enim dicit, vtrum moriens, an viuens ibi, ad vitae finem perueniam. Sane θανοῦσα ἐκπλήσω βίον ridiculum, ζῶσα ἐκπλήσω βίον tautologicum foret: sed neutrum horum est, si ἐνθάδε θανοῦσα, et ἐνθάδε ζῶσα ἐκπλήσω βίον dicitur.

V. 1252. Non video, quid sibi velit μή πω, quod libri omnes habent. Scribe μή πως. Hesychius, μήπως, μήποτε. Aeschylus in Agamemnone v. 1262.

ἐκ, εἴπερ ἔσταγ' ἀλλὰ μὴ γένοιτό πως.

V. 1253. Vulgo καὐτόν τε cum Aldina legitur. Aliquot MSS. καὐτὸν δέ. Brunkius e membr. καὐτόν σε τῶτον edidit. Idem esse in MS. Reg. Soc. obseruat Porsonus, qui καὐτόν γε τῶτον exhibuit. Nam si σὲ legeretur, praecedentem versum tribuendum fuisse Agamemnoni. Miror virum doctum non sensisse, quanta vis insit in ista repentina Polymestoris ad Agamemnonem conuersione. Etenim sicut in omnibus hisce edendis vaticiniis iracundiam prodit Polymestor, vt aliqua certe ratione sese vlciscatur, ita eadem vindictae sumendae cupiditas postulat, vt haec quoque, quae de Agamemnone praedicit, Agamemnoni ipsi, non Hecubae dicat. Idque eo etiam veri simile fit,

fit, quod hinc colloquium cum Agamemnone initium capit. Haud dissimile exemplum supra est v. 1171, et quod ibi attulit Porsonus e Sophoclis Oed. Col. v. 1352.

νῦν δ' ἀξιωθεὶς εἶσι, κακίσας γ' ἐμὲ
τοιαῦθ', ἃ τὸν τῆδ' ἔποτ' εὐφρανεῖ βίον·
ὃς γ', ὦ κάκιστε, σκῆπτρα καὶ θρόνους ἔχων,
ἃ νῦν ὁ σὸς ξύναιμος ἐν Θήβαις ἔχει,
τὸν αὐτὸς αὐτῆ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας.

V. 1257. Recte vulgo ἀλγεῖν ἐπέων; Brunkius et Porsonus qua caussa signum interrogationis deleuerint, non capio. Vide v. 1230.

INDEX

SCRIPTORVM EMENDATORVM VEL ILLVSTRATORVM.

Numeri paginas indicant.

Aeschylus *in Prometheo* LIII. LVIII. *in Persis* XXX. seq. LVIII. LXV. LXVII. 131. *in Agamemnone* LV. LVI. *in Choephoris* 121. *in Supplicibus* XXXIX. *bis.*

Aristophanes *in Pluto* XXV. LV.

Attius 132. 133.

Chaeremon *apud Athenaeum* 128. 130.

Christodorus 165.

Ennius 59. 62. 63. 78. 89. 90. 98. 102. 103. 116. 126. 133. 135. 142. 148. 149. 156. 167. 170. 172.

Etymologus MS. XXIII.

Euripides *in Oreste* XXXIV. LVII. LXIII. seq. 120. *in Phoenissis* XLII. LIX. LXIV. 83. 120. *in Andromacha* XXXIV. *in Supplicibus* 77. *in Iphig. Aul.* LXIII. *in Iphig. Taur.* XXXIII. 82. *in Rheso* 98. *in Bacchis* LIX. LXVI. seq. *in Heraclidis* 114. 115. *in Helena* LXIII. *in Ione* LVII. *in Herc. fur.* LVIII. 77. 115. 116. *in Electra* LXIII. *in Archelao* 172. *in Meleagro* 81.

Pindarus (*Nem. I.*) 67. (*Nem. IV.*) 124. (*Isthm. II.*) 165.

Plato 96.

Plautus *in Amphitruone* 61. *in Casina* 60.

Plutarchus 148.

Poeta vetus *ap. Diog. Laert.* 103.

Scholiastes Euripidis 64.

Sophocles *in Oedipo Rege* XXIX. XXXIX. et seqq. LVIII. 72. 109. 129. 167. *in Oedipo Col.* LIV. LVIII. 73. 109. *bis.* 146. 164. 167. *in Electra* XXXIV. LIV. LXXV.

71. 76. 77. 114. 116. 123. 134. 168. *in Antigona* XXXIV. 114. 116. *in Trachiniis* 72. 77. 109. 162. *in Aiace* XXXIX. LIV. LXI. LXV. 67. 71. 72. 73. 153. *in Philocteta* XXXIV. LIV. LV. LXI. LXII. 72. 113. 126.
Theocritus 137.

INDEX

RERVM ET VERBORVM.

A.

Acherons prima longa 59.
Ἀα prima non ancipiti XXI. seqq. duodecim formas habens XXIII.
Ἄϊδης non in iambis trisyllabum 114.
Αἰθέρα adverb. 167.
Ἀλάστωρ 138.
Ἀμέρδειν 154.
Ἂν omissum 167.
Anapaestus in tragicorum iambis XXXIV-LXIX.
Ἄξιον, ἀξιοῦσθαι 105.
Aoristus secundus passiui 107.
Articulus omissus 113. eum male addunt MSS. 124.
Augmentum vbi omittant tragici XXVII. seqq.

Γ.

Γραῖος et γεραιὸς 77.

Δ.

Δαίδαλος adiectiuum 124.
Διάδοχος 132.
Dialectorum in tragicis ratio LXXII.
Διορίζειν 150.
Diphthongorum hiatus in tragicis LV. 161.
Δύρομαι 140.

E.

Ἐκπλήσσειν actiue 92.
Ἐκτείνειν 129.

Ἐν omissum 133.
Ἔννεπε 139.
Epiphonemata in carminibus antistrophicis sibi respondent 161.
Epitheta duo 117.
Ἔσθειν 137.

H.

Ἦ interrogatiuum post aliquot verba 153.
Ἤιεν cum aoristo pro plusquamperfecto 171.

Θ.

Θνήσκειν *languescere* 100.

I.

I datiui singularis rarius elidi 150. subscriptum vbi omittendum XXI.
Ἴομεν (τῷ) *accedam* 158.

K.

Καὶ (χ') omissum 84.
Κάμπτειν *quiescere* 164.
Casus pendens e praepositione in verbo 92. casuum mutatio 139. 152.
Coniunctiuus post praeterita 63.

A.

Λαβεῖν et λαχεῖν 66.
Λαγὼν 128.
Λαίζεσθαι 83.

M.

Μῖτος 84.
Metra XXXI. XXXIV. seqq. 68. seqq. 82. 88. 89. 92. 95. 107. seqq. 124. 134. 136. 137. 140. 145. 158. 259. 160. 161. 162. 166.
Μίτυς 175.
Μὸι elisa diphthongo 147.

N.

Νεοπτόλεμος quatuor syllabarum LXI.
Neutralia verba pro actiuis 67.
Νομίζειν τὰς θεάς, et similia 145.
Nuncii quomodo perorent 131.

O.

Ὀδὲ pro ὅστις 126.
Ὄμμα et ὄνομα 118. seqq.
Οὗτως 172.
Ὅτε in οἷσθ' ὅτε et similibus 85.
Ὀψινον 130.

Π.

Participium cum ἐμί 169.
Πατρῷος media breui 84.
Persona secunda sing. passiui in α Attice XXV.
Πῆ 158.
Πῇ XXV.
Praepositio in verbis omissa 33. 165.
Prosodia: δὲ in fine versus 137. Ἡρακλῆς media breui in iambis 114. μέσσος, ἔσσομαι, non in iambis 116. syllaba vltima breuis verborum trisyllaborum in ictu 130. ἅλιος ictum semper in prima habet 136. Ὠρίων media breui 167. Hiatus LV. 161.
Προσφαγμα, προσφάζειν 65.
Πρῶτα (i. e. τὰ πρῶτα, *primarii*) 144.
Πρωταρίθμια 145.

Σ.

Σκίμπτων 78.
Σμερδαλέος et σμερδνός 155.
Στεροπή, *lux diei*, VII. 78.

T.

Τῇ post duo vocabula 82. seq.
Tmesis XLI.

Τ.

Τπεξάγειν πόδα 147.
Τπὸ 6½. seq. *eum*, 97.
Τποσίλλειν 164.
Τστάτη ὄψ, *nouissimum verbum*, 128.

X.

X' e χῇ omissum 84.
Χθὼν *tartarus* 80. mater somniorum 81.
Χρεία σ' ἐμοῦ 152.

Ω.

Ὠρίων media breui 167.

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

ᑯ5ᑭ